Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

KW 235
D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Const. 9. Stuiv.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Viro Clariſſimo, & exi-
mio Medico,

EWALDO SCREVELIO,
Medicinæ Profeſſori digniſſi-
mo, amico veteri
ac intimo.

N*Iſi plurimæ ac graues, vir Clariſſime, fuiſſent olim cauſæ, quare adoleſcens raras ac eximias virtutes tuas æſtimaſſem, nunc amorem tuum, poſtquam ætas & iudicium acceſſit ad affectum, iure ambirem. Quem præclara virtus tua, eruditio, & merita in Academiam, quotidie confirmant. Qua occaſione euênit, vt quem tu ſuauiſſima vrbanitate, in qua regnas, tot iam annos domi aliud agendo oblectaſti; beneficiis obſtrictus, patrocinium vrbanitatis ac facetiarum, pu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

blice a te petat. Nec indignum venuſtate tua reor, quod nunc agitur. Orbem inſanire quidam ex antiquis olim dixit. Quem cum Abderitæ, populares ſui, delirare iudicaſſent; Senex veſter candide abſoluit. Soli & in aurem patere vt hoc dicam. De Ætate hac noſtra (nam de imperitis loquimur) quid ſentis? Manum ei tange, ſodes, & arteriam explora: moriar, ni idem cum Democrito pronunciabis, Non errorem eſſe amplius, ſed morbum. Abiectiſſimos ambit: maximis inſultat. Antiquiſſima ac præſtantiſſima faſtidit: ineptiſſima ac noua admiratur. Vſitata deſpicit: inuſitata appetit. quod κίττα, niſi fallor, vobis dicitur. Eruditionem credit, nihil ſcire. Rerum omnium ignaris fauet ac blanditur. Libertatem æſtimat, & ſeruit. Pacem prædicat, & bellum gerit. Veritatem diſputando quærit, & involuit. Magna

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

atque abſtruſa loquitur: & vmbram Aſini ſectatur. Dignitates atque honores, quos præ cæteris miratur, imperitis confert. Si quid generoſum & æternitate dignum prodit, nauſeat ac vomit. Animas incomparabiles, Hippocratem, Galenum, Ariſtotelem, Plutarchum, Tullium, Naſonem, tanquam æui ſui purgamenta, negligit aut horret. Nugamenta hominum ac ſordes, ſuſpicit ac tollit. Denique, vt ex vſu artis tuæ tecum agam, vides eſſe quaſdam, quæ cum cibos quosſibet faſtidiant atque a ſe ſpernant, terram, languidæ, aut viuam calcem, corium, aut pannos veteres ſectantur, atque in iis dentem figunt. Idem fieri hic ſcito. Quare, ſiue pica, ſiue coruus eſt, cum quo luctatur, quanquam noſtro monitu, vir tantus, hic non eges, ne tu tamen haud prædictum dicas, cenſeo cauendum, ne, vt virgines nonnunquam neſcio

quid partui prætexunt, quem inſtantem vident, ita hæc præclara mamma noſtra, quam fortaſſe capularem credis, vterum clam gerat. Quæ ſi parit, Aſinum aut Regem terris dabit. ita nihil hic æquale eſt. De Aſello tamen magis ſuſpicari cogor. quem nunc vnum ſequitur, amplectitur, ac fouet. Noſti delicatas illas, quæ catellam, quoquo eunt, circumgeſtant. Domi, foris, Melitæa cibum vna capit, adeſt, tangit, propter dormit. Nugas eſſe narro tibi, præut noſtra quæ inſanit. Viden' ineptiſſimam vt prurit, vt friguttit, vt vbique Aſinum ſectatur, æſtimat, miratur, promouet, in oculis ac ſinu gerit: vt delicias exhauſta ac effœta facit. prope vt abſit, quin in publico collimet caput. Iſte autem, vt cum Plauto tuo loquar, Acheron vlmorum, vt ſe ocioſe infert! vt cum faſtu bellus puſio incedit! vt, eiectus patrum tempore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

pore, nunc denuo irrepit! vt ex alto eruditos deſpicit, quos poſſeſſione tamen deiicit ac loco! neque metuit, ne quos clam premit, publice iniquos habeat, aut mereatur. cum in Academiis, in Curia, in Foro, tot ingentes animæ hæc ſentiant, & ferant. Siue philtrum miſcuit ac dedit, ſiue aliquid de fronte equi legit; adeo hic totus eſt vterque, vt cæteris, quos virtus & ingenium commendat, nihil præter riſum & conſtantiam relinquant. Nos hic eos imitamur, qui cum callide ad dominam affectant viam, quicquid illi placet probant ac commendant. Igitur, quemadmodum qui vetulæ abblandiuntur, aut ad arcam morituræ cum ſpe ſedent, quicquid gratum illi eſſe ſciunt, clanculum in aurem inſuſurrant, caput mulcent, amatorem, quem miratur, laudant atque extollunt; ita nos, delicias Ætatis noſtræ, Aſinum laudauimus. Credo, vt ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Domina expiret (pridem enim aliena loquitur, delinquit, ac vix aluum tenet) ex ſuprema voluntate nobis aures Pamphili relinquat. Quanquam has ſeruari iis malumus, qui a tepore æui noſtri ac languore, ad antiquitatem nunquam reſpexerunt cuius imitatione famam atque æternitatem comparandam ſemper arbitrati ſumus. tanto quidem animo maiori, quanto nati ſerius, ad eam magis aſpiramus. Tu qui ſæpe mecum hæc expoſtulaſti, cui maximum medendi vſum ſani tribuunt atque ægri, vel clyſtere, vel emetico, (ſi vires id deiectæ ferunt) vel helleboro, imaginoſam iſtam ac deliram cura: vel nobiſcum ride. Et hoc malo, quia ſoles, quia cum Democrito, vrbane potes: quia denique, nec furioſis nec phreneticis iraſci debet, qui præſidium in arte habet. Quæ ſi aliquantum hic aberrat, vt hoc addam, cras atrati

omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

omnes faxq publice incedamus Cæ- *teri, vt qui nouercam lugent. ſolus cliens noſter, pompæ caput, multum, ſed ex animo ac ſerio, plorabit. Vale, vir Clariſſime, cum viro præſtantiſ- ſimo Adolpho Vorſtio, collegâ tuo. qui virtutes ſummi Medici parentis ſui, non iam, vt ætate illa alii nonnulli, Academiæ promittit, ſed cum digni- tate exhibet ac præſtat. Lugd. Bat. Anno* CIϽ IϽ C XXIX. *Mar- tii* VIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tum cauſa, ac ſcientiis illudunt. Iam cum ſeruituti natum fere hoc animal putetur, etiam pro libertatis bono, quod natura omnibus commendat, aliquid ſubinde, ex occaſione, aut temporis quo viuimus, aut ſimpliciſſimi clientis noſtri, interfatus ſum. de Græcis autem vel inprimis ac Romanis, quorum patientiam qui hac in parte Aſino ceſſiſſe credit, plus antiquitati tribuit quam par eſt: cuius non exemplis ſed virtuti inſiſtendum eſt. Quia autem quæ de animali ipſo ac virtutibus ſeorſim dicenda erant, minus grata fore putabamus; quod in ſcena olim vſurpatum nouimus, exodia ex vita hominum petita, ac digreſſiunculas, perpetuo fere inſeruimus. In quibus, ſi qui (vt nonulli ita callide interdum ac maligne ſuſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

caces ſunt, vt quæcunque in aliorum ſcriptis legunt, clam inuidiæ ferendæ, etiam in ſe, ac alios, libenter trahant) more hic ſuo argutentur ; quod feſtiuus fabulator pro ſe dixit, pro Aſello meo dicam:

a *Suſpicione ſi quis errabit ſua,*
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilominus.
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi:
Verum ipſam vitam & mores hominum oſtendere.

in primis vero negligentiam

** diſ-

---

a *Phæd. lib.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

diſcendi ac deſpectum. Quod qui dignum reprehenſione exiſtimabunt, iis quoque, aut fallor, aut hic ſatisfeci. Et non parum commode ac vltro ſic occurrunt nobis. Tales enim ſunt, quos commendaui.

Paro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Parodia Phaſeli Catulliani, in Aſini expreſſam hic effigiem.

ASellus ille, quem videtis, hoſpites,
Ait fuiſſe quadrupes pigerrimus,
Nec vllius ſtupentis ocium pecu
Nequiſſe præterire, ſiue Inertiæ
Opus foret litare, ſiue Murciæ.
Et hoc negat ferocula Batauiæ
Negare littus, inſulaſue proximas,
Sicambriam, trucemque Bætici ſinum.
Vbi iſte, nunc ſcreator, antea fuit
Iners Aſellus. heic Salaciæ in ſolo
Rudente ſæpe ſibilum edidit ſono.
Batauiæ ora, nobiliſque Catta gens,
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſſima
Aſellus inquit. vltima ex origine;
Tuis nataſſe dicit in paludibus:
Tuo imbuiſſe & vngulas in æquore.
Et inde per tot alta littorum iuga

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Herum tuliſſe; læua ſiue dextera
Foret cruenta : ſiue agaſo verbere
Vtrunque durus incidiſſet in latus.
Nec vlla vota vapularibus Diis
Sibi eſſe facta, cum veniret a mare
Nouiſſimo, hanc ad vſque muſicam
domum.
Sed hæc prius fuere: nunc ineptiis
Vacat iociſque. ſeque dedicat tibi,
Gemelle aſellulle, & gemelle aſel-
luli.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Quæ hoc libello continentur.

LAVS ASINI.

CRAS CREDO, HODIE NIHIL.

AN, ET QVALIS VIRO LITERATO SIT DVCENDA VXOR.

LAVS PEDICVLI.

DE POETARVM INEPTIIS, ET SAECVLI VITIO.

ARGVMENTVM BATRACHOMYOMACHIAE.

EPISTOLA, de commendatione Græculorum quorundam: cum aliis aliquot.

Omnia hac editione ita aucta & interpolata, vt alia videri poſſint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Epigramma Palladæ in Aſinum lib. Anthologiæ Epig. 2.
Tit. Εἰς Δῶρα.

Ἀντίσπαστον ἐμοί τις ὄνον μακρόθυμον ἔδωκε,
Τῶν βασταζομένων ὅρμον ὁδοιπορίης·
Υἱὸν ὄνου βραχυτῆτος, ὄνον πόνον, ὄκνον, ὄνειρον,
Τῶν ἀνακαμπτόντων ὑστάτιον, πρότερον.

Reſpondet Autor.

Ἀξιάγαστον ἐμοί τις ὄνον μεγάθυμον ἔδωκε,
Τῶν βασταζομένων ἵππον ἀεθλοφόρον.
Υἱὸν ὄνου ταχυτῆτος, ὄνον τόνον, ὄκνον ἄοκνον,
Τῶν θερμῶν καὶ τοὺς ὑστάτους, προτέρους.

LAVS
ASINI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

LAVS ASINI;

Ad Senatum Populumque eorum, qui, ignari omnium, ſcientias hoc tempore contemnunt.

DIOGENEM accepimus, qui ab acerbitate Canis olim dictus eſt, cum diligenter aliquando de virtute ac vitiis, ſine auditoribus diſſeruiſſet, cantillare voce lepida cœpiſſe: atque hac ratione attentionem ſibi comparaſſe. Eundem ferunt, cum orator Anaximenes ad populum cum exquiſita grauitate declamaret, ſalſamentum auditoribus exacte maceratum oſtendiſſe. quo in ſe aſtantes protinus conuertit. Inter oratores, quorum ex antiquitate ad nos pervenerunt ſcripta, vt ex omni parte abſolutus, ita totus ad vtilitatem factus eſt Demoſthenes. Nam cum alii plerique in verbis copiam oſtentent, ſenſibus enerues ac propemodum ſoluti ſint, ſolus iſte, rebus ita denſus, ita ſtrictus eſt ſententiis ac preſſus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

vt in publicis orationibus Rempublicam non hominem, in cæteris, non oratorem aut patronum, ſed exactum judicem ac conſummatum, judicare exiſtimes. Ita autem, quæ grauiſſime concepit, exprimit atque effert, vt, quemadmodum majeſtas, quæ ex multis conſtat, vnum aliquid in rege eſt ac principe, ita in hoc vno conſummata vis dicendi, ex diuerſis pariter virtutibus emergat. ad quam alii cum collimarint, ſolus eam animo complexus, verbis pariter ac rebus aſſecutus nobis quidem ſemper viſus eſt. Ad felicitatem hanc acceſſit, quod ex tota Græculorum gente, nemo melius vidiſſe, nemo melius intellexiſſe aſini ingenium videtur. Qui cum aliquando maximis de rebus publice dicturus, aliud pleroſque agere videret, neque quicquam minus oratorem deceat quam ſine attentione loqui; vela ſapienter vertit, ac, de vmbra aſini dicturum ſe recepit. Quo, ſine alia perſuaſione aut fuco, protinus obtinuit quod voluit. Ita is qui ſæpius de rebus ſummis ac communi ciuitatis incolumitate, quæ ad muros potentiſſimum habebat hoſtem, aut de majeſtatis jure, quod Athenis penes populum tum erat, multis fruſtra egerat, inuſitatam protinus attentionem populi expertus eſt. Nec profecto mirum, lætis auribus pleroſque

que ac animis, admittere animalis ejus laudes, cui multos eſſe ſimiles natura voluit. Adeo vbique verum eſt, quod Epicharmus olim dixit, Canem cani, bouem boui, ſuem ſui, aſinum vbique aſino pulcherrimum videri. & quod Ariſtoteles ac Plato ſæpe repetunt; Similem non alio quam ſimili plerunque delectari. Neque pauca in Athenienſibus tum erant, quæ ad aſini naturam proxime accedebant. Vt non mirum eſſet, ſi cognati animalis laudes tam attente audirent. Primo quippe, vt de vtilitate ſua ac ſalute, quanquam in periculo præſenti, aſinus non cogitat, ita nihil ibi, quanquam tum ad portas Græciæ communis hoſtis verſaretur, populus agebat. Tum, quemadmodum nec verbis nec verberibus, nec ſtimulis, ab inſtituto ſuo aſinus mouetur, ita nullæ oratoris rationes, verba nulla, nulla fulmina, vt de libertate ſua cogitarent, obtinere poterant. Et vt aſinus non timet, ita nihil metuebant tum Athenienſes. Atque vt idem aſinus, cum aures ſemper habeat arrectas, nihil audit, omnium ſecurus: ita, cum rumuſculis intenti ſemper, ſemper auidi nouarum rerum, iſti eſſent, nihil de Philippo ſtatuebant. Et quemadmodum ab omni dolo aſinus ac fraude quam longiſſime abeſt; ſic, cum callide rem gereret Philippus, nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

oratoria perſuaſione, vt artibus iiſdem vterentur, poterant adduci. Igitur, quemadmodum ſeruire tantum ſolet aſinus, quod & patienter & optima cum fide agit, ita patienter illi, quæ vel prima aſinorum virtus eſt, vaferrimo ab hoſte expugnati, onera victoris ac clitellas ſuſtulerunt. Dicturi igitur & nos poſt multos, non de vmbra aſini, cum principe oratorum, Patres, ſed de ipſo; a vocabulo quo deſignari eum voluit antiquitas, initium ſumemus. De attentione veſtra vel propterea ſecuri, quod vt laudes ſuas pauci averſantur, ita multi ſunt vbique qui cum aſino laudantur. Atque inprimis vos, Conſcripti Patres, qui, contemptu ſtudiorum pariter & ignorantia, hoc vobis nomen vindicaſtis. quorum res præcipue nunc agitur. Quippe cæteros aut virtus ſua, niſi fallimur, ac conſcientiæ fiducia, nonnullos quoque riſus forte, ex tranquillitate animi, ſolabitur. Et quandoquidem ab iis, qui aut male aut nihil ſcire didicerunt, atque hoc vnum amant, aſinorum proceres Grammatici habentur, ab eorum regno hic incipiendum erit. De Latinæ ergo vocis veritate ac origine, vt vocant, quanquam accurate & noſtri & ſuperioris temporis ſcriptores diſputarunt, nemo tamen equidem, quod ſciam, aſſecutus id videtur. *a* Iſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

a Iſidorus a ſedendo aſinum vult dici. Forte, quod non ſedet. Atque eadem ratione a volando poteſt dici. nunquam enim volat. Nam de inſidendo, neſcio an minus vanum ſit quod adfert. Niſi quod feſtiuiora ſunt quæ addit. Ac ſi quis Grammaticorum more acutus eſſe velit, elementis ſingulis proprietatem animalis myſtici, exprimere ipſa vox videtur. Quod myſterium, occultum ſane ac horribilis arcani, olim e Grammatico audire memini. Quo autore, prima litera, ASSIDVVM, ſecunda SEDVLVM, tertia INDVSTRIVM, quarta NEC, quinta VNQVAM, ultima, SEDERE denotat. Vt vox tota ſit, ASSIDVVS, SEDVLVS, INDVSTRIVS, NEC VNQVAM SEDENS. vel quod alii placere memini. ANIMAL SAPIENS, INGENIOSVM, NVLLI VIRTVTE SECVNDVM. quomodo, ſi quis Grammaticis infenſus, (quales ſemper ſunt non pauci) hac eadem ratione eorum quoque nomen ventilet, interpretationem ſatis lepidam inueniat, quam aliis inveſtigandam nunc relinquo. Quanquam has b argutias ne penitus damnemus, c Auguſtinus, Irenæus, aliique viri ſancti obſtant.

---

a *Orig. lib.* 2. b *quas Notarica ac Sigla vulgo dicunt.* c *Auguſtin. aliquoties. Iren. lib.* 1. *aduerſus Hæreſ. Rabbini paßim.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Obſtant Hebræorum primi, quibus nihil æque vſitatum. Quod ſi quis, vt multi hac ætate, ocium, quod eruditis quoque ſæpius moleſtum eſt, anagrammate vlciſci velit, hoc quoque en tibi: SINE SAPIENTIA VIRTVS NIHIL AVSPICATO INCIPIT. Verum, vt jam iſta pariter cum Iſidoro hic mittamus: Antiquiſſimi mortalium, cum ad vtilitatem omnia referrent, cujus ſenſu ac inueſtigatione ad honeſti rationem homines perducti ſunt, iis quæ potiſſimum admirabantur, ex hac nomina impoſuere. Quæ res ipſos, ſi quid vetuſtati credimus, incluſit Deos. quorum, vt inepta ſuperſtitio dictabat, Regem, hoc eſt, ipſum Iouem, a juuando, quod eſt, ab vtilitate, dictum, plures prodidere. Atque hinc Ὄνος Græcum. cui ſi, receptq more Æolicum digamma addas, fiet Fόνος. vt a voce ἄναξ, βάναξ: & quod Italis in Græcia majore vſitatum fuit,[a] βάννας. quæ vox Regem notat. Hac eadem ratione, qui eſt Ὄνος, fiet fonus, ſiue vonus (nam confundi literas has conſtat) hoc eſt, bonus. ſiquidem is bonus eſt qui multis prodeſt. Quod Grammaticis examinandum damus. qui Pandectas Florentinos hic pro ſe habebunt,

a *Vide Heſych.*

bunt, neque difficulter excuſari poterunt, cum æque ſint feſtiua, quæ de hac origine nonnulli, qui per fas & nefas fontes nominum rimari ſolent, commentantur. Ac ſi pergas, protinus inuenies Latinum, Onus, ſine quo vix vnquam aſinus incedit. Sicut vox Hebræa, quam fere vniuerſus Oriens aſſumpſit, onus, ſiue aceruum, pariter cum aſino complectitur. Quas delicias ineptiarum candidatis condonamus, neque indignas eo judicamus quem commendaturi venimus. Interim vt Ὄνος Græcis a juuando, ſic & a Latinis, quia nemini nocere ſolet, Aſinus eſt dictus. Ἀσινὴς vel Ἄσινος, videlicet; a poëtarum voce σῖνος, quæ hic tempore vno mutilatur. Quemadmodum & Ὄναιο a Græcis dicitur, cum optime precantur. Quaſi dicas, Felix ſis, ac fortunatus; voce auſpicata, a qua aſini vocabulum deduci creditur. Vtrunque, & Græcum ſimul & Latinum fontem, verſu vnico complexus, eſt Heſiodus,

> a Αἰδὼς, ἥ τ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ'
> ὀνίνησιν

Ab vtilitate igitur, vt Græcis, ſic Latinis,

---

a *Verecundia, quæ & valde nocet hominibus & prodeſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Aſinus eſt dictus. niſi quod ſimpliciter ab illis, a Romanis, vſitata admodum figura, nomen obtinet. Vt cum dicitur, non tardus, qui inprimis velox, non deformis, qui pulcherrimus: non ingratum, quod inprimis eſt acceptum. Quanquam non ignoro, ab Hebræo fonte originem paratam eſſe. Vt a voce Athon, quæ eſt fœmina clientis noſtri, fiat Aſon, & hinc Aſonus & Aſinus. Neque refert ſane a fœmella Aſinum deduci. ita enim omnes naſcimur. Hac origine inuenta, quæ in magnis ſæpe latet, ſuæ quoque vocis Galli, Angli, Itali, Hiſpani, fontem ac originem videbunt; cum a matre lingua deducatur. Quam hic Græcam eſſe ratio euincit. Fidem faciunt expreſſa vocis per antiquam Græciam veſtigia. Nam, vt Aſinios Romani, ita Aſinas (quod oppidis haud paucis olim nomen fuit) hic plerique laudant. Inter alios Lacones: quibus voces plurimas Romani, vt & Siculis vicinis, debent. Apud quos Aſinaſus & Aſines, antiqui fluuii. vt & Aſinaria ibidem; feſtum Syracuſis celebrari ſolitum. Atque hinc certa vocis naſcitur, quam κτ̀ σύμβολον dixerunt, definitio: Aſinus eſt animal quod prodeſt: ſiue, quod vtilitatem adfert. Quæ ſi eadem cum honeſtate eſt, vt Stoicis videtur; illud jam præſtare auſim, nihil eſſe aſino hone-

hone-

honeſtius in vita. Ne de Epicuro dicam,qui vtilitatem æquitatis pariter ac juris matrem dixit. aut de facundiſſimo Carneade, qui,vt refert *a* ſcriptor diſertiſſimus,juſtitiam,vtilitatis cauſa ab hominibus excogitatã vt probaret,totum olim eloquentiæ effudit ſinum. De natalibus ac primo animalis ortu, paulo magis controuerſa res eſt. Niſi quod Arcadiam nonnulli prodidere. Autor eſt *b* Nicander, Iouem cum Prometheo infenſus eſſet,cujus furtum gens humana parum æqua filio Iapeti clam detuliſſet, munere haud vulgari hominem donaſſe. Iuuentute ſcilicet æterna. quam cum (qui eorum mos eſt, vt libenter quicquid magnum eſt aut pulchrum aſinis committant) huic conſeruandam tradidiſſent, caſu quodam ea excidiſſe. Nam cum ſiti torqueretur,dipſadi,quæ fonti incubabat, grande hoc depoſitum ceſſiſſe. Eant nunc qui generis nobilitatem ab annalibus arceſſunt. quæ ſi ab antiquitate ſola petitur, quod volunt, nunquam obtinebunt, vt nobilitate aſino antiſtent. Pridem apud Belgas extitiſſe, vel ex eo patet, quod Hebræis nomen ſuum debent. Nam quo nunc vtuntur, quid eſt aliud quam *Aſel*, id eſt, *ocioſus?* Ita enim malo equidem quam

Piger.

---

a *Lactant. lib. 5. c. 6.* b *In Theriacis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Piger. ne de dignitate ac majeſtate noſtri quicquam ſic diſcedat. Quanquam, quid eſt *Piger?* Vox ejuſdem ſane linguæ. quæ, ni fallor, laſſitudinem deſignat aut debilitatem. Vnde iiſdem ſi non punctis, certe literis, cadaver ab iiſdem dicitur. Eam autem, vnde hæc fluxit, vocem, longe magis Chaldæorum mutat ſermo, quibus *Athel* dicitur. Ex quo hujus ac Hebrææ pariter vetuſtas liquet. Cui qui antiquitatis cauſa ſuam anteponunt, pie ſatis ac benigne, ante orbem conditum ſe natos volunt. qua ætate nemo Belgice, quod ſciam, loquebatur. Quanquam tales Arcadum exemplo ſapere videntur. qui, cum ante Lunam genitos ſe ferrent, vna re ſuperiores erant, quam non ſatis iſti cauent. Cæterum, cum a Deorum hominumque patria initium plerunque oratores ſumant ac poëtæ, operæ videre eſt, quam ſollicite equorum patriam deſcribat Maro. *Quamvis*, inquit,

a *ſæpe fuga verſos ille egerit hoſtes,*
Et patriam Epirum referat fortesque Mycenas.

Credo, quia de equorũ patria, vt noſtra tempeſtate, ita olim inter ſe mortales contendebant. Quare Hiſpanum alii, aut Gallicum, aut Liby-

a *Georg*. 3.

Libycum;Maſſylum alii,aut Dalmatam,aut Siculum, commendant. Quæ ad noſtrum nihil. Solus enim aſinus vbique naſcitur;

A ſole exoriente vſque ad Mœoti' paludes.

Patria ergo aſini eſt Orbis; locus elegans ac minime anguſtus. quem & ab ornatu Græcis dictum conſtat. Quod ſi oratorum more hic diffundi eſſet animus, &, quod Pindarus plerunque ſolet, ejus, quem ſuſcepi commendandum, laudes ac præſtantiam, a dignitate patriæ amplificanda ducerem, quid aliud quam vniuerſus orbis deſcribendus foret? De Europa enim, Aſia ac Africa, dicendum eſſet. quarum ciuis pariter & inquilinus noſter eſt. Quanquam nihil magis aſinum commendat quam humanum genus. Quod vt inter animalia excellit, ita plurimi, & corpore & animo, quod pridem a *a* Philoſophis notatum eſt, ad hunc accedunt. Græcos ſuos *b* Ariſtoteles excipere videtur. Vt & hac ætate ſuos quiſque; etiam qui primi inter eos ſunt:ignari, quantũ corpore ac animo excellat noſter.In quo vtrum ſpectes, vires ſuas non experta tantum, ſed vt in illuſtri opere, periclitata, mater omnium natura videtur. Nam colorem quidem, vt ab hoc incipiamus, eum tribuit,qui ad

a *Vide Phyſiognomos.* b *Polit.* 1.

ad puriſſimum accedit. Color enim terræ, ſi, vt idem *a* Rex philoſophorum docet, qualis eſt reuera, oculis ſe exhiberet, candidus omnino eſſet. Nunc, qui ab hoc proximus, in cinere apparet. Quod in aſino videmus, qui ad illum proxime accedit. Quanquam ſane & albos, antiquiſſimis Hebræis celebrari haud ignorem. licet poſtea ad probra ab hac gente ſint tranſlati. Qualis fuit, quo poſteriores vſi ſunt Iudæi. Quorum inſtitutis qui renunciaſſet, feſto die, albo, ajunt, aſino, per mediam traduci ſynagogam ſolet. Quod *b* Zenoni cuidam eueniſſe Græci notant. Eo fere modo, quo *c* Cumani, qui compertam adulterii, tranſuectam aſino per forum, oſtentabant: quæ Onobatis tum dicebatur. Stolida profecto ac dementi pœna, & quam nec caſtiſſimæ in Oriente abhorrent. *d* Quanuis idem Perſæ ac poſteriores vſurparint Græci. qui famoſos aſino, vt iſti, traducebant. *e* Sic Commenum Andronicum Byzantini, *f* Artubaſdum Conſtantinus, alii alios; *g* Beatricem Ænobarbi, Mediolanenſes aſino impoſuere.

a *Lib. De col.* b *Suid. Zenone.* c *Plutarch. Probl. alii.* d *Procop.* e *Sabell. lib.* 8. f *Cuſpin.* g *Parad. De ant. ſtatu Burgund.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ſuere. Nigrum quoque ac maculoſum *a* Columella, non in vili, ſed in precioſo illo ſuo (ita nuncupat) ac admiſſario, commendat. Qui tam ſpecioſe noſtrum ac magnifice deſcripſit, ut Maronis equo inuidiſſe videatur. Requirit enim, vt ſit *corporis ampliſſimi, ceruice valida, robuſtis coſtis atque latis, muſculoſo pectore ac vaſto, lacertoſis feminibus, cruribus compactis, coloris nigri vel maculoſi.* Vnde haud minus qui hunc, quam qui equum emeret, de ſanitate & noxa ſtipulari conſuerat. quod Varroni credas licet. Nec profecto de colore fruſtra: cum non omnes pro decoro ſint ac majeſtate formæ. Ita murrinus in aſino, vt idem autor memorat, tum vulgaris eſt, tum non optime in mula reſpondere exiſtimatur. Iam vt animi in homine, quod Græci dicunt, certa ac veriſſima effigies eſt ſermo, ita vox in cæteris. quam, vt forte non articulatam nimis aut diſtinctam, ita validam natura aſino indulſit. Inter omnes ſenſus, præſtantiſſimus eſt viſus: ſine quo, vt recte in Timæo ait Plato, ne philoſophari quidem poteſt homo. vt qui contemplationi vel occaſionem vel materiam perpetuo ſuppeditet. Hujus ergo inſtrumenta, non exigua, vt animalibus non-

a *Colum. lib. 6. c. 37.*

nullis, ſed ampliſſima, haud dubius naturæ fauor aſino indulſit. Iam aſpectus ipſe, non inſtabilis aut vagus, ſed demiſſus, & in terram, quod pudoris argumentum, virginali verecundia dejectus. Ideoque, *a* ne Platoni quidem ignoſcendum, qui inuerecundos in clientem noſtrum, poſt hanc vitam commigrare voluit. Ac ne Xenophonti quidem: qui hoc vitium in aſino notauit. Sine auditu nemo neceſſaria ad animum transmittit, nemo particeps fit ſapientiæ. Cujus conceptacula non ampla modo ac largiſſima hic poſuit natura, ſed &, quod negatum homini, in poteſtatem ei dedit; vt quo vellet, ac cum vellet, commovere eas poſſet. Vnde vatum diſertiſſimus de Mida,

b Sed trahit in ſpatium, villiſque albentibus implet:
Inſtabileſque illas facit, ac dat poſſe moueri.

Niſi quod non ſatis digne de his judicauit. cum præſagii haud parum ac diuinitatis, quod omiſit, veteres in iis ponant. Eas enim ſimul quatit, tempeſtatem indicare exiſtimatur. Quemadmodum & inter ruſticorum, quibus tempeſtates abigunt, remedia, ejuſdem caput eſſe creditur. cujus rei repertorem

a *In Phædone.* b *Ouid. Metamor.* II.

torem Tagen *a* Columella laudat. Atque hoc illi non argutum eſt, vt equo, quod ſtuporis eſſe indicium in homine, inter cæteros diuinus Ariſtoteles notauit: ſed vbique amplum æque ac diffuſum. Pellis dura, & quæ ſenſum penitus excludit: in qua homines non pauci moriuntur. Hæc eſt illa, cujus ope, ventos ſævientes arcuiſſe *b* Empedocles putatur: qui cum ſata ac ſpem anni pridem eluſiſſent, vtres ex hac fieri curauit. quos cum collibus ac montium verticibus applicuiſſet, cum ſtupore omnium obtinuit quod voluit. Vnde & *κωλυσανέμας* dictus eſt. maxima cum aſinorum quidem ſtrage; quibus licet hoc inuitis obtigiſſe reor, togas tamen pariter ac vitam ciuibus ac publicæ ſaluti condonarunt. Ceruix, non excipiendis modo, ſed & ſuſtinendis commoda oneribus: quam inſigni artificio non tangit modo tergum, ſed continuat ac claudit. ita generoſum, vt non cedat plagis ſed occalleat. Inter ſcapulas vtraſque, crucis exhiberi formam, pridem jam in ſectione obſeruatum eſt: haud dubio perfectionis argumento. Summus enim numerorum eſt qui ita deſignatur. quem vt plenum Pythago-

a *De cultu Hort. Vide & Pallad.* b *Laërt. in vita Emped.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

rici, ſic finem numerorum, nuncupant Rabbini. Cauda, non ſuperflua, vt equo, ſed honeſta potius quam longa. Semen, in quo animæ ipſius artifex, vt credit *a* Ariſtoteles, vis latet; ita comparatum, vt, eodem teſte, & citius quam equi impleat, & ſi poſt iſtum ineat, plerunque fœtum ejus, vt nobilior, corrumpat. Membra, quæ continuandæ ſpeciei a natura ſunt excogitata, ita valida, vt vſque ad ſummum prope vitæ diem procreare exiſtimetur. *Gignit tota vita*, inquit *b* Plinius. Ergo vbi amplius non gignit, moritur; ex Mimnerni diſciplina pariter & voto.

c Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς
Ἀφροδίτης;
Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέ-
λοι.

Hinc, quemadmodum Hebræi, *d* Carnem aſini (ira enim partem eam vocant) etiam prouerbio extollunt, ita Græculi Priapo ſacrum voluerunt. Qua profecto parte ineptus, jam præſertim grandior ætate, equus eſt

---

a *Lib. De Hiſt. Animal.* 6. *c.* 22. b *Lib.* 8. *c.* 42. c *Quæ eſt vita, quid jucundum ſine aurea Venere? Moriar, cum hæc non amplius curæ ſunt mihi.* d *Ezech.* 23. 20.

eſt. Qui, vt ſummus ejus commendator, velit nolit, cogitur fateri,

a *Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem*
Ingratum trahit.

Et,

Vt quondam in ſtipulis vanus ſine viribus ignis.

Magnum aſinis cor eſſe Plinius teſtatur. quod timoris argumentum ac indicium anatomi cum ſtatuerunt, fugit eos ratio. Non enim cogitabant, nihil minus aſino formidoloſum eſſe. Ac præſertim, cum in nobiliſſimo edendi exercitio verſatur. Si quidem hic occupatus, ne inuicto quidem, teſte Homero, Telamonis filio concedit. Vnde & illud, Aſinus eſuriens nec fuſtem reſpicit. Felle quod carere volunt, mihi quidem non probatur. nam & ſimultates, more in aulis jam recepto, cum quibuſdam, quanquam caute ac ciuiliter, exercet. Corvum, teſte *b* Ariſtotele, non amat. minus vero ægithum. Cujus oua quoque diripit ac nidos. Neutrum ſine cauſa: ab vtriſque enim luditur ac infeſtatur. Etiam acanthidem ac ſtellionem metuit. Magis tamen lupum. A quo parum comiter deceptus ac oppreſſus, jugu-

 latur.

a *Georg.* 3. b *Lib. De Hiſtor. Animal.* 9. *c.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

latur. Ac de quadrupedibus hæc quidem. Nam qui apud nos ſunt, merum fel, vt plurimum, ac bilis, male agi ſecum putant, niſi totam euomant in eruditos. Negant aſinum acuto eſſe ingenio. Neque enim, credo, vt Philoſophorum nodos ſoluat, aut feſtiuum carmen ſcribat,aut facete argutetur, natus eſt. Quanquam de his infra. Minime enim deſerendos hic antiquos aut recentiores reor, qui haud parum multa ac præclara de ingenio clientis noſtri ad poſteritatem tranſmiſerunt. Vnde ex illis quidam, vt ſimilibus Dis ſimiles offerrent victimas, ſolum aſinum, Apollini ingenioſo ac ſimillimo mactarunt Deo. Itidem vt Perſæ, ſolo nomine mutato, velociſſimo Deorum Soli, equum,aſini affinem, conſecrarunt.Qua de re non pauca Græci. Quid ſi autem ad majora alia ſit natus? Quid, ſi fortis, conſtans, &, quod maxime laudatur, inſtituti ac propoſiti ſit tenax? Quid ſi minis nullis, nullis ab hoc dimouetur plagis? Quid ſi, vbi ſemel aliquo in loco conſtitit, haud aliter ac magnus imperator, firmus eum atque immotus tenet? Si præſertim ſerio ac fide optima eſuriat. de quo jam ante. Quod & ſummæ tolerantiæ & magni animi indicium habetur. Vnde &non inepte,aſinum inuictum eſſe,dixeris.Atque hoc optimeHomerus intel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

lexit. qui cum cæteris Achillem (at quem virum!) cum Ajace anteferret, hunc heroem,

a *Hectora qui ſolus, qui ferrum ignemque*
Iouemque
Suſtinuit toties,

non cum equo, ne quis erret, nec cum elephanto, multo minus cum leone, ſed cum aſino conferre maluit. Atque hinc planum reor, longe inferiores aſinis fuiſſe cæteros, aut tales ſaltem Regi poëtarum viſos. Vnde illud:

b Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας,
Νωθὴς, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη,
Κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε (παῖδες
Τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν.
Σπουδῆ τ' ἐξήλασσαν ἐπεὶ ῥ' ἐκορέσσατο (φορβῆς.

---

a *Ouid. Metamorph. lib.* 13. b *Iliad.* 11.
Vt cum aſinus, agrum præteriens, vim infert pueris, Piger, in quo multi fracti ſunt jam fuſtes, Depaſcitque ingreſſus pulchram ſegetem. pueri autem Pulſant eum clavis, quanquam infirma eorum vis ſit. Diligenterque ejiciunt, poſtquam edendo ſaturatus eſt.

a Ὣς τότ' ἔπειτ' Αἴαντα μέγαν Τελα-
μώνιον υἱὸν (κουροι,
Τρῶες ὑπέρθυμοι, τηλεκλειτοί τ' ἐπί-
Νύσσοντες ξυστοῖσι μέσον σάκος, αἰὲν ἕ-
ποντο.

Nam Achilli conuenire hæc non poſſunt, cui pedum tribuit velocitatem. quam, qui minus callide loquuntur, fugam dicunt. Parin autem, mollem hominem ac nulli rei, non cum aſino, ſed equo, confert. *b* Ὣς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος. Nota enim eſſe debent quæ ſequuntur. Quod nec ab Hebræis & eorum conſuetudine recedit. Quibus fortes viri, fortes Aſini dicuntur. Vnde & *c* Iſſachar vocabulum hoc meruit. Quanquam hoc, interpres, vetus quidem, ſed facetus, ad aſſiduam ſacrorum lectionem refert, cui multum operæ daturus erat. quaſi hoc ſit aſinorum. Nam quod a Marone eodem, ſerio in equo commendatur, quod

d *Stare loco neſcit,*

ea quo-

a *Sic tum deinceps Aiacem, magnum Telamonis filium, Troiani magnanimi, longe aduocati, Tondentes contis medium clypeum, ſemper ſequebantur.* b *Iliad.* 7. c *Geneſ. c.* 49. 14. d *Georg. l.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ea quoque, ſi quid judicare poſſum, virtus fugientis eſt. Quam & Flaccus, quaſi neceſſariam excoluit, cum in acie Philippis ceſſit,

——— relicta non bene parmula.

Archilochum ſecutus. quem non minus hic quam alibi expreſſit. Iouis flaminem fuiſſe dicas: quos armatam intueri aciem religio vetabat. adeo ſollicite hoc cauit. Quanto autem major noſter, qui abire loco neſcit: cui hoſtis nullus, nulla acies armata tam formidoloſa vnquam fuit, vt non loco ſtaret: vt non animum immobilem cum gradu conſtitueret! Quod in aſino commendat Græcus, cui animum ac vires pariter attribuit. Quid quod totas aliquando acies in fugam aſini dederunt? *a* Animoſam atque indomitam Perſarum gentem, poſtquam plurima cum Scythis, quibus ſolis aſinos ignotos eſſe ferunt, irrito ſucceſſu ſæpe prœlia geſſiſſet, tandem ſpe ad aſinos non infeliciter tranſlata, iſtos pro ſe quenque conſcendiſſe, fama tenet. Qui cum rudere, vt eorum mos ac conſuetudo eſt, cœpiſſent, equos cum equitibus in fugam protinus dediſſe. *b* Vnde & alias eorum opera Darium in

---

a *Herodot. lib.* 4. b *Eod. lib. de Darii ſtratag.*

in decipiendo hoſte vſum, autor eſt hiſtoricorum parens. Nam Maronem quis non admiretur, qui aſſcribere equis audet, quod non minus aſinorum eſſe, veteres fatentur?

Quamuis ſæpe fuga verſos ille egerit hoſtes.
Poëtæ enim tradunt, quod neſcire maximus non potuit, Iouem, duce Libero, qui Satyros, recepto more, ac Silenos, pro ſe adduxiſſet, ſola aſinorum voce, cum clamorem quiſque, belli metu, dirum pro ſe ſuſtuliſſet, hoſtem eminus fugaſſe. Vnde & *a* Carmanos iis olim & *b* Saracoros, equorum vice, optimo ſucceſſu vſos ferunt. Adde, quod de aſini virtute nemo ſentit melius quam equus. Cujus laudes quo quis accuratius percenſet, eo magis aſinum commendat. Equus enim tanti animi tantæque, vt volunt, generoſitatis animal, relicta gente ſua, aſinorum filias procatur; nulla, quæ præcipue ab hominibus ſpectatur, dote, ſed virtute ſola ac naturæ excellentia, adductus. Sicut & viciſſim aſinus procatur equam. Ac tum longe generoſius habetur id quod naſcitur. Niſi Columella, ac Palladius, cum omnibus qui hactenus de animalibus

---

a *Vide Strabonem lib.* 15. b *Ælianum, Hiſtor. Anim. l.* 12, 34.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

libus ſcripſerunt, hic aut fallunt aut fallun-tur. Quorum iſte

Ex equa & aſino creantur, inquit, *vel onagro & equa. Sed generoſius nullum eſt ejuſmodi animal, quam quod aſino creante naſcitur.* Ille autem: *Mula non ſolum ex equa & aſino, ſed & ex aſina & equo, itemque onagro & equa generatur*, &c. a *Neque tamen vllum in hoc pecore eſt aut animo aut forma præſtantius, quam quod ſeminauit aſinus.* Et Varro lege Mœnia, *Nemo eſt tam negligens, quin ſumma diligentia eligat aſinum, qui ſuam ſaliat equulam.* Ac in promptu quidem ratio. Nam

b *Fortes creantur fortibus & bonis.*

Eſt in mulis aſinorum virtus,

b *nec imbellem feroces*
Progenerant aquilæ columbam.

Quanquam ſane affinitas hæc quando cœperit, haud ſatis conſtat. Eo quidem tempore, haud parum grauiter amantem noſtrum, (qui, cum brutis reliquis, Saturno rege, ſi quid magno creditur Platoni, *d* voce adhuc humana vtebatur) animo affectum ferunt. Præter enim quas de ſe ſuppeditare amor ſolet curas, totus in riuali ſuo eſſe.

Occur-

a *Ibid.* b *Horat. lib. 4. Od.* c *Ibid.* d *In Politico.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Occurrebat equi vis ac generoſitas, occurrebat forma, quam tantopere homines commendant ac deprædicant. Tum inprimis juba. quæ in dextro leuiter dejecta armo, animi indicium putatur. Ad hæc, phaleræ, ephippia, atque alia id genus ornamenta: quæ ad commouendos fœminarum animos haud parum poſſunt. Ipſe contra, nihil pro ſe, præter ſpem & acre deſiderium habere; quæ plerunque ipſa deſperatio accendit. neque parum ſane ab ea parte accedebat, in qua fatum quidam ex poëtis ponit. Sola igitur virtute ſua comitatus ac fortuna, dominam accedit. Quæ exultim ludere inibi, & ineptire, & inſoleſcere, vt hoc genus ſolet, & timere tangi, ac poſtremo, miſerum amantem, poſtquam diu ductaſſet, vt nunc puellarum mos eſt, inſuper habere. Alter excidiſſe haud dubio ſe ratus, domum ac ad ſuos ſe conferre. In quibus cum præſidii haud multum inueniret, angi animo ac fluctuare, &, vt ſolet, in diuerſa trahi: cum haud pauca pariter ad animum ac curam reuocanda eſſent. Illud autem vel inprimis, fabulam ſe eſſe, ac jam paſſim circumferri, Aſinum amare. ne, ſi non ſuccederet quod animo voluebat, quæ præcipua magnanimis curarum eſſe ſolet, hoſtibus ludibrium, propinquis odium deberet. Et

jam

jam apud ſuos male audire,quod neceſſitate omni, omnibus agnatis ac tribulibus relictis, alienas nuptias ac factioſa cogitaret. Ferox enim animal ac bellicoſum, & affinitatem talem, placidis ac belli imperitis, ſi quid novi oriatur, metuendam. De quibuſdam, & amica eo tempore vulpecula monebat. Inprimis, magnum onus veterem nobilitatem & diuerſum vitæ genus eſſe. Care iſta temporum difficultate viui. Et annonam publice intendi: alibi & flagellari; aut ad hoſtem mitti. Liberos a matribus vbique molliter ac laxe nunc haberi;ſi inprimis ſumptuoſæ ſint aut inſolentes. Quibus facile defatigari, ſæpe & exhauriri patres. Ipſum malis ſemper artibus abſtinuiſſe, nec ad publica admiſſum, moribus hac tempeſtate vſitatis, ea ad ſe tranſtuliſſe. quo nonnullos conjugum ac liberorum factionibus impelli. Solum hactenus vixiſſe. ideoque rationes & fortunas ſuas ſibi facile approbaſſe. at nunc aliud ſpectari. Sæpe bajulandum illi, ſæpe onera geſtandum,etiam non raro vapulandum. Quæ vt ipſe patienter ferret, metuendum, ne feroces liberi ac inſolentes, patrem aut faſtidiant aut ſpernant.Eadem a matre expectanda. Nam qui cælebs hactenus vixiſſet, patrem familias nunc fore. Quare meminiſſet, maximã rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

agi, & in qua ad pœnitentiam plerique feſtinarent. Quæ cum ſæpe audiret, & in longum cogitaret, ſæpe meliorem ſuæ, ſibi autem ſæpius, optare mentem. Sed jam ſerum erat non amare. Sæpe ergo ſolus ſecum, ſæpe apud dominam amator grauiter & multum, quanquam, vt vox ejus eſt, non admodum facunde, queri. Neque enim verſibus adire eam poterat. non quod ipſam, hercules, poëſin, vt nunc aſini, damnaret, ſed quod ad vrbanitatem iſtam ac leporem, vt ſeueriores ſolent, minime a natura factus eſſet. Preces autem & blanditias, quæ ad hunc ſexum maxime efficaces ſunt, ne fruſtra adhiberet, generoſitas obſtabat. Tandem ergo,

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Genethliacum accedit. Ex quo vbi intellexit, ſibi quidem frigidum Saturni ſidus eſſe advorſum, vniuerſam vero aſinorum gentem, omnium a athlorum (ita vocant in hac arte) pro ſe dominam habere, quæ Fortuna Bona in eadem nuncupatur, neque voto potiturum modo, ſed & inſuper qui naſciturus eſſet, magno apud homines futurum loco; ſine vllo antenuptiali pacto, ſine auſpi-

a *Vide Aſtronom. & Scal. ad Manil.*

auſpice ac tæda, ſponſus ſimul ac maritus domum redit. Et haud multo poſt

Peræcaſtor ſcitus puer natus eſt Pamphilo,

Quem cum primum vidit, aliquamdiu tacitus, ac quaſi ſydere contactus, hæſit. Vbi enim forma patris, vbi color, vbi vox, vbi vigor, vbi omnia? Nihil tamen, vt eſt ſimpliciſſimus, aduerſus caſtitatem matris ſuſpicatum ferunt. Nondum gnarus æui noſtri, quo videtur moribus & conſuetudine receptum, eſſe, vt matribus plerunque ſimiles naſcantur liberi. Et interdum nono menſe naſci, ſolet, cujus pater decimo poſt anno, nondum ſit repertus. Etiam de exponendo cogitaſſe ajunt. Nullo quoque loco, primo habuiſſe. Ita mulos, tanquam patre ac matre orbos, aliquamdiu oberraſſe. Qui in aulas poſtea tranſlati, magno pietatis documento patres ſuos nunc plerunque vehunt. Eant nunc obſcuri quidam oratores & poëtæ, aut e triuio Philoſophi, ſi Diis placet, qui, vt minus ſplendidum nimiſque vile, aſini ac muli in oratione vitant nomen; vt in omni vita, ita in hac parte Socrati diſſimiles. Qui, philoſophorum maximus, ne eo quidem tempore quo cauſam capitis dixiſſe ferunt, in ſeuera ac inprimis vtili de Diis diſputatione, his nominibus abſtinuit. Quippe im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

pietatis accuſatus, *a* Quæſo te, mi, Anyte, inquit, qua adductus tandem ratione Deos a me tolli credis? Niſi forte non frequenter aliquid de Geniis e nobis audiuiſti. Quinam autem tibi eſſe Genii videntur? nam haud dubio hos mecum ponis. Atque hic eo annuente, Credis ergo eſſe aliquem, qui mulos, inquit, eſſe credit, aſinos non credit? quibus verbis os obſtruxit ſycophantæ. Quanquam ſane in equis quod tantopere commendant iſti, quid eſt niſi fervor quidam furioſus & indomita ferocia? quæ quo major eſt, hoc minus rationem audit. Neque cogitant inepti homines atque imperiti, vna voce cuncta aſinorum vitia traduci. quos cum tardos dicunt, nihil ad calumniam jam ſupereſſe. cum in equo & majora, & prope infinita ſint. Nam aut calcitro, aut ceſpitator, aut ſtrigoſus, aut ſuccuſſor, aut anhelus, aut poſtremo, duri oris eſſe poteſt. Ne de morbis dicam. Et quam hic adferre cauſam poſſunt, cur ſuccuſſatores, quos tortores quidam, quidam cruciantes e veteribus dixerunt, adeo detrectent, aſturcones contra laudent, niſi quia alteri ſubſultim ac moleſte, alteri molliſſime incedunt? Quaſi locum hoc in aſino non habeat:

a *Arrian. lib.* 2. *c.* 5.

beat: qui, ſi verum ſaltem hic admittimus, manno omni, omni tolutario modeſtius ac verecundius incedit, neque vel tantillum gente ſua ac majoribus indignum in ſe facinus admittit. Cum in equo ſint non pauca, quæ cenſuram publicam merentur. qui, ſi ferox eſt, in maximum diſcrimen ac periculum, vectorem rapit; quem & nihilominus excruciat. ſin exhauſtus viribus ac claudus, multo eum magis cruciat. Quod ne noſtro quidem tempore Africanos fugit; qui non temere, aſinis quam equis, vt notiſſimus de iis autor tradidit, lubentius vtuntur. a *Atque hi molliter incedere edocti, gradarios inceſſu equos, facile*, inquit, *antecedunt. Ideoque pannis eleganter eos ornant, ac matronis, cum ductore puero curſoribuſque locant.* quibus mites ſe ac commodos præbere ſolent. Quod ab equo qui expectet, fruſtra ſit, ac ſæpe miſer. Cujus non indomitum ac ferum modo animum, ſed & lubidinem nonnunquam, in ſeſſoris caput ac ætatem expetiſſe ſcimus. Sane memini vicinum quendam meum, virum eruditum, quæ gens a ſimplicitate vulgo commendatur, multis aliquando precibus ac votis ab amico vſum equi, generoſi quidem, ſed qui nondum

a *Leo Afric. lib. 8.*

fræni eſſet patiens, ad diem petiiſſe. Cujus voti cum potitus eſſet, forte euenit, vt in campo amœniſſimo ac ſpatioſo equa paſceret: ſine phaleris ephippiiſque quidem illa aut ornatu vllo,

ita vti quæ ornantur ſibi.

In qua alter ſubito commotus, primo fremere ac hinnire, nec jam fræno aut calcaribus ſat dicto eſſe audiens. Quod cum ægre ferret noſter, ac diu ſerio reluctaretur, frænum quoque interdum aliquanto liberalius remitteret quam par eſt, neq; inſanientem tamen minus fodicaret; tandem trans immanem foſſam, nihil adhuc tale cogitantem, rapit. credo, vt natare diſceret qui literas callebat. Qua tramiſſa, toto impetu in dominam conuerſus, crudam ac ferocientem, pariter cum ſuo ſibi equite, inſiliit. Qui inuitus nuptiis cum intereſſe nollet, ac in omnia diverſa ſponſum raperet, delapſus tibiam perfregit. Vt omittam alterum amicum, optimum ac fide antiqua virum, ſed qui nitido atque accurato nimis cultu eſſet. quem & ipſum aliquoties de immodeſtia equorum apud me conqueſtum memini. Ac præſertim aliquando, cum, calcaribus non bene vſus, homo magnæ molis, ex feroci animali in paludem devolutus, riſum omnibus deberet. Neque dubito, quin ſæpe, cum

eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

eodem die nuptiæ inſtarent, ac tum ibi dominam, puellam ſuauem ſane ac elegantem, adfuturam ſciret, ideoque omnem mundum induiſſet, ipſe ſecum exclamaret,

O terque quaterque beatos,

qui vehuntur aſinis. Ac non deerant amici qui autores eſſent, vt in jus vectorem raperet, atque illo quo tum erat habitu, madens multum ac informis cœno, judicem adiret. Fidem penes accuſantem fore. ac daturum pœnas immodeſtum animal nec vnquam eruditis æquum. Addam his poëtam quendam, intima familiaritate nobis junctum. qui cum equo, parum, vt non raro euenit, ſubacto, hyeme adulta, veheretur, &, vt natio hæc ſolet, animum in carmine haberet, jamque in eo eſſet, vt feſtiuum jambum, fine vltimo & ſenſu clauderet; forte agricola cum conto, inter lacus duos maximos occurit. quo exterritus, ineptus vector, diſertiſſimum poëtam, nihil tale meditantem, ac ne abſoluto quidem adhuc verſu, in eorum alterum prouoluit. Quo excuſſo, fugæ curſim atque exultim protinus ſe dedit. Nihil optimum poëtam miſeratus, qui ineptiarum omnium oblitus, humidus ac magno frigore perfuſus (paroxyſmus enim jam poëticus nonnihil deferbuerat ac calor) multum quiritans, ac fugientem grauiter accuſans, fere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ad paſſus mille ſequebatur. Cui autor fui, vt ſi ſibi, ſi poſteritati, ſi præclaris cogitationibus conſultum vellet, ſi delicias aç fœtus ſuos, prope antequam conciperentur interire nollet, omni ſe equorum cura ac commercio poſt illa abſtineret. Quod ſine oratorio colore, vati meo perſuadere memini. Nihil enim minus ſibi eueniſſe ex animi ſententia, ajebat. In iſtis quidem certe aliquid non ſatis æquum noſtro generi, jam pridem obſeruaui. Quod ex antiquiſſimis Annalibus haud difficulter confirmari poſſe video. Eoſdem enim eſſe, qui Bellerophontem, quem fuiſſe vatem de furore & ſolitudine auguror, ex aëre in Lyciam, eoſdem, qui non paulo ante e cœlo Phaëthontem Phœbo genitum, aſtrologum, vt ferunt, ſummum, forte & poëtam, in Eridanum proterue dejeciſſent. qui ſi aſino fuiſſet vſus, maximo labore terram ac poëtas ſublevaſſet: neque quiſquam nunc de tempore quo conflagrauit orbis litem ſæculorum conditoribus moueret. Sed nec quiſquam Iouis legeret calamitatem, cui moriendum tum aut fulminandum fuit.

(nimbos
a *Nam neque quos poſſet terris inducere*
Tunc habuit: nec quos cœlo demitteret imbres.

Cui

---

a *Ovid. Metam.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Cui caſu miror neminem fuiſſe qui remedium afferret: qui incendio, quod equi dederant, fomentum aſinorum adhiberet. Pridem enim ab antiquis obſeruatum legi, nihil *a*Stygis aqua magis frigidum extare. Eam autem ſola aſinorum vngula hauriri, ſola contineri poſſe. Quæ cum parum prodeſt, aliquid de primo frigido miſceri poteſt, quod in ſcriptis plurimorum reperitur. Sed & quoſdam noui, ſatis equidem deparcos, qui eum ſumptus, quos hic ponunt, ſecum ineunt aut cum vxore, vix perſuaderi ſibi patiuntur, vſum ac commoditatem ſupra iſtos eſſe. Mihi quidem euenire idem memini cum equum alerem. qui cum rationes meas anno intuerer, facile per me intelligebam, quanto aſinus præſtaret. Nam vt cibi illi optimi habentur qui non multis opus habent condimentis; ita ea animalia non ſine cauſa præferuntur reliquis, quæ ſine ſumptu magno magnum ſui præſtant vſum. Quorum princeps ſine controuerſia eſt aſinus. Sine vllo enim aut ornatu, aut, qui neceſſarius ſit, apparatu, quiduis vehit. ac inprimis hominem. Et quis neſcit, ea omnibus in rebus cæteris præſtare quæ αὐτάρκη ſunt & paucis egent? Quod ſi hic autoritate ſit agen-

a *Plut. De Primo frigido.*

agendum, idem noſtris quoque vxoribus videtur. tum præſertim, cum in nouis rationibus quot dies, ocreas, oreas, calcaria, habenas, fræna, ſtrigiles, ephippia, capiſtra, & id genus alia non pauca, legunt, quæ conficienda ſemper aut reficienda ſunt. Atque hanc cauſam eſſe reor, cur tam pauci hodie ſint equites qui equum alant. quia ſumptuoſum, nempe, ac edacem fugiunt contubernalem; multi plane cibi, ac nullius, contra quam ajebat ille, joci. Neque omnino meo quidem errant animo qui ita ſentiunt. Huic adde, equorum curam ac poſſeſſionem ſequi plurimum inuidiam. quia id aut diuitum exiſtimatur, vt præclare Ariſtoteles, aut qui diuitias oſtentant. Vnde & ad Paucorum ſtatum equites, ſi numero ſint plures, in Repub. referri ſolent: aut peculiarem, vt Athenis, ordinem conſtituunt. Ac Camillum quidem ajunt, cum quadrigis albis Romam, poſt clariſſimam victoriam inuectus eſſet, acrem in ſe populi inuidiam ſic concitaſſe. Quibus pulchre obuiam iuiſſet, ſi, pro equis, aſinos junxiſſet. Ignorabat enim homo bellicoſus grande hoc arcanum, populare animal eſſe aſinum, & in ſtatu tali gratum ſemper & acceptum. Quemadmodum nonnunquam & in regno. Vnde & Bacchum patrem,

primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

primum hujus pompæ repertorem, cum nonnihil Iouem offendiſſet, vectum aſino in cœlum, optimo parenti riſum facetiſſime expreſſiſſe, ac ſic reſtitutum *a* Græci tradunt. Longe aliter quam apud Ariſtophanem Phidippides. qui, vt pater queritur,

b Ἱππάζεταί τε καὶ ξυνωρικεύεται,
Ὀνειροπολεῖ θ' ἵππους.

Sed & nemo, qui vel modice antiquitatem delibauit, ignorare poteſt, eam noſtro olim habitam fuiſſe reuerentiam, vt ſoli, ob modeſtiam inſignem, ſacra publica committerentur. quod & Eleuſine, & in Iſide ac Dea Syria, ſeruatum ſcimus. Notum illud ex vetuſto carmine ad Copam, quam fuiſſe ambubaiam ſuſpicor,

Huc Alibida veni. feſſus jam ſudat aſellus.
Parce illi. veſtrum delicium eſt aſinus.

Quod ne noſtra quidem tempeſtate exoleuit. vnde & ante equos ſuo merito incedunt. Dicat aliquis, equorum eam dignitatem olim ac præſtantiam fuiſſe, *c* vt Romanus imperator, cuidam, quem impenſe dili-

---

a *Ariſtides Dionyſo.* b *Equitat, & bigas jungit, Et equos ſomniat.* c *Sueton. Calig. c. 55.*

diligebat, conſulatum deſtinaret. Magna, fateor, prærogatiua, ſi quis neget, principatus quoque ac purpuras nonnunquam aſinis deferri: aut, ad conſulatus, tribunatus, ac præturas, nuſquam olim, nuſquam hodie, admitti. Quid his ergo facias, qui nullis ipſi linguis, literis omnino nullis, nulla penitus humanitatis parte imbuti, nihil præter odium iſtorum profitentur? qui ſeuero admodum ac graui vultu, de præcipuis ingeniis ſententiam ferre audent? quaſi ne hoc quidem ſciant, ſibi ſolam eſſe reliquam hanc laudem, quod, vt nihil ſciant, ita nihil admirentur: ab iſtis autem, ad terrarum orbem & poſteritatem totam prouocari poſſe. Credo, quia non legerunt, Regi Phrygio, qui in certamine Apollinem damnauit, famulum fuiſſe. qui cum aures ineptiſſimus mortalis, luculentas illas conſpexiſſet, ac celare vellet, ad arundinetum, quo arcanum ingens calamis committeret, ſe contuliſſe. Atque hos, vti ſolet, vento inſpirante, ſtrepere inter ſe cœpiſſe

Auriculas aſini Mida rex habet.

Nunquam autem æque feliciter atque hac ætate prouenerunt calami. quibus vnus inter cæteros arcana mea facile committo: quæ, vt ſpero, pro me poſteros nonnihil oble-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

oblectabunt. Ajunt Comicum Philemonem (nam quod Chryſippo idem tribuunt [a] nonnulli, vix eſt vt accedant, qui ſeueritatem Stoicorum non ignorant) cum forte aſinum ex inſperato ficus comedentem prope ſe vidiſſet, vinum protinus juſſiſſe apponi, vt & biberet. Quod cum admiſiſſet noſter, protinus cum riſu expiraſſe. Si quid judicare poſſum, hominem fuiſſe oportet rerum omnium quæ inter homines geruntur plane ignarum, (quales, etiam ætate hac, poëtæ ac philoſophi nonnunquam) qui tam leui cauſa moriundum ſibi eſſe exiſtimaret. Ego & dicentes aliquot audiui: neque paucos noui qui autores edunt ac emendant, qui poëtas cum contemptu omnium interpretantur, & inuictos quoque equos ac vbique notos, prouocare audent. Noui & innumeros propemodum qui verſus ſcribunt: qui & ficus & melones vino diluunt: & poſt iſta, omnium ignari, quod jam vſitatum eſt, de eruditis judicant. Nec propterea tam demens ſum, vt vita excedendum putem. Vix ex illis autem quenquam noui vnquam, qui non ſibi oppido placeret: qui non alii detraheret: qui non clam veneno

D graſ-

[a] *Vide Laërt. Chryſip.*

graſſaretur, qui non obeliſcis magni hominis exiſtimationem foderet aut ſcripta. Semper enim ignorantiam aut ducit liuor aut conſequitur. Quæ cum ſola regnat, excuſationem pro ſe habet. nemo enim tam crudelis eſt vt pecudem traducat. Quales ſi natura noſtro generi dediſſet, ſimplices ac mites; facile omnes ſibi temperarent. Nunc, vt quiſque ignarus maxime, ita maxime eſt ferox. Vnde haud raro ante famam pereunt qui tales ſunt, aut ſtylis diſcerpuntur. Apud Obſequentem memini notare, Romæ cum honore publico conſpectum aſinum qui tripes eſſet. & ciuili bello aſinum locutum ferunt. Quaſi amplius hoc eſſet, quam quod bipedes naſcuntur: quam quod ſcribunt: quam quod ſummum quemque virum ad certamen vocant. *a* Notat magnus hujus temporis Hiſtoricus, Piſtorii, ſub horam admodum diei tertiam, cum magno hominum concurſu publicum tribunal conſcendiſſe aſinum. E quo opportune adeo rudiſſe, vt aſtantes affaturus videretur. Quod nec miror, vt plerique, nec prodigium exiſtimo. Scimus enim, & hac tempeſtate & olim, idem ſæpe, non in foro tantum, ſed in

a *Sigon. Imp. Occid. Hiſtor. lib. 7.*

in tribunali quoque & omni dignitate e-
ueniſſe. Vnde & querela vetus,

a Ὄνον γενέσθαι κρεῖττον, ἢ τοὺς χείρονας
Ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανεστέρους.

Sæpe interfui querelis hominum clarorum hac ætate, neque raro & adoleſcentum, qui cum veræ ſapientiæ ac literis dediſſent operam, Doctorum quoque inſignibus donati eſſent; mirabantur, ſimul atque ad ambitum deuentum eſſet, nullum iſtis locum eſſe. Contra autem alios, non horum modo omnium ignaros, ſed & bonæ mentis ac ſcientiarum illuſores, ad ſupremos dignitatum promoueri gradus. Neque pridem factum, cum præclarus juuenis ac eruditus, cæterum ſimplicitatis meræ, & qui aſinorum priuilegia (quod ſoli poſſunt qui jam vſum ſapientiæ ſunt conſecuti) nondum ſatis didiciſſet, animo & auribus demiſſis,

vt iniquæ mentis aſellus,

cum querela ad me venit. Cui hunc in modum tum reſpondi. Multos hactenus de equis, tum ætate noſtra, tum ſuperiori, diligenter ac cum laude maxima ſcripſiſſe. Sed & priuilegia extare Equitum præclara,

 huic

---

a *Aſinum eſſe præſtat, quam videre Deteriores ſplendidius ſe viuere.*

huic ordini conceſſa. Aſini prærogatiuas hactenus non eſſe certas, neque legibus aut jure circumſcriptas. Ideoque immenſas eſſe ac prope infinitas. Quæ tu in Republica miraris, eadem in aulis, optime virorum, eadem in Academiis ac regnis, eadem vbique, inquam, fieri memento. Ac ne locum quidem eſſe, vbi non hoc animal reperiatur. Ne in cœlo quidem, quod miraberis fortaſſe. Et ſi dubitas, Aratum tuum audi, quem non vnus ex antiquis ad Romanos tranſtulit.

a *qua duro concaua dorſo*
Tegmina nudantur, geminus micat ardor in auras: (*terra.*
Hos dixere Aſinos, ortos Theſprotide

In Neptuni quoque regno, aſinum inuenies: quem, vt homines nonnullos, cor geſtare in ventre, obſeruauit Ariſtoteles. Nam de inferis non potes dubitare: apud quos, quod *b* pluribus notatur, ſenex quidam gnauus funem torquet, quem aſellus protinus arrodit. Et hiſtoriam vt multi laudant, ita Romæ, patrum tempeſtate, in Capitolio ac hortis Vaticanis, marmore cæla-

a *Feſt. Aui.* b *Clemens Alex. Pædag. lib.* 2. *cap.* 1. *Athen. lib.* 7. *Vide Pauſ. Phoc. Propert. Parœmiographos.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

cælatam extitiſſe, antiquarii obſeruant. Vt intelligas, vbique ſedulis obſtare hoc pecus. Cui, ſi in vniuerſo orbe, ſi in cœlo, ſi in ipſo quoque Rhadamanti regno, ſuus eſt ac pridem fuit locus, quid reſtare nobis arbitrare, niſi vt aut ipſi numero eorum accedamus, aut imperium, quod vi occulta huic generi tranſcriptum conſtat, fortiter feramus? Id autem, ſoli, amiciſſime virorum, didicerunt, non qui literis aut eruditione tantum, ſed qui Epicteti ac Cleanthis fruge pectus imbuerunt: qui ſecuritatem mentis ac tranquillitatem, non in dignitate quam vos affectatis, ſed in ratione ac opinione recta ponunt, quam donare ſola poteſt ratio, ac ratione mens munita. quæ vt nunquam errat, nec de ſorte, quanquam modica, conqueritur, aut grauis ſibi, aliis moleſta eſt; ita altera non explet. Nulla hæc ætate viros magis eruditos, nulla, ac fortaſſe ne antiqua quidem, magis exquiſite rerum omnium peritos, quam hæc noſtra tulit. Tamen meminiſti quid de maximis heroibus nonnulli judicarint, qui ad omnes aſini virtutes aut quam proxime accedebant, aut ſuperiores eſſe poterant: quid de nobis hodie iſtorum ſucceſſores. Et quot, ſodes, nunc in Gallia, Italia, Britannia, Brabantia ac Flandria, illuſtres eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

putas animas ac mentes, quæ de his quotidie queruntur, aut, ſi pluſculum jam profecerunt, tacite contemnunt? Nam, ne tu ignores, ſicut ſinguli in ciuitate intereunt, Reſpublica æterna eſt, ita aſini quotidie efferuntur, ipſum genus manet ac perpetuo manebit. Suos omnis ætas, ſuos ſinguli heroes, ſuos Plato, ſuos Ariſtoteles, ſuos ante hos Socrates expertus eſt. Quem cum duo, Anytus ac Melitus, deferrent, reliqui damnarunt. neque multo poſt damnationem, ſtatuam defuncto conſecrarunt. Meminiſti, credo, nec Siagros Zoiloſque defuiſſe Homero, neque Pindaro Amphimachum, neque celeberrimo Simonidi Timocreontem: vt nec Meuios Virgilio aut Bauios. quibus neque ſectatores ſuos defuiſſe, neque defuiſſe qui hos cæteris præferrent, aut ad dignitates promouerent. Adeo vbique aſini prærogatiua, qui fataliter præfertur, res humanas implicat aut turbat. Quod plerunque queruli atque æuo ſuo parum æqui libentiſſime mirantur. quaſi non deliquerint antiqui, aut nunc demum nata ſit hæc conſuetudo. Ac in Academiis nonnulli quid accuſent noſti. Magnam nempe juuentutis partem, poſtquam luxu ac inertia ætatem primam corrupere, in leones maxima cum aliorum fraude commutari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

mutari. Ac ſi quis (vt hic difficiles nonnulli ſeſe præbent) impos voti abit; alibi quod optat ſtatim aſſequi. Iis autem difficilibus ac duris quicquid aliis acceſſerit, perire. Omnes enim aſinos, inprimis inauratos illos, licet ſegnes ac tardipedes, procantur. Quin & protinus,

a Ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,

acclamant. Ipſum autem, vellere aureo exutum, noui Argonautæ, ad agnatos ac propinquos maximo judicio remittunt: aut abſenti deferunt quod emit. Cui cum honore animi, cum animis contemptus aliorum, ac inprimis ſapientiæ, accedit. Simul enim pileum ac togam, qui præclarus honos atque haud temere repertus, alibi vulgatur, clam aut populo ſpectante induxerunt, ſi affines aliquot ad manum aut propinquos habent, protinus ad rem communem admoueri. Quod plerunque cæteris, qui magno ſunt ingenio, haud parum dolet. Quibus interim obambulare, ac ſi parum ſint a ſapientia inſtructi, quantum libet, ringi ac plorare licet. Nam per ocium hoc quidem illis ſane licet. Atque hi rurſus ſui ſimiles plerunque rebus vt

a *O aurum gratiſſimum acceptu mortalibus!*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

admoueant, diſſimiles excludunt. Hinc contemptus omnium qui ſolide ac ſeuere profecerunt: qui Platonis ſapientiam ac Ariſtotelis, qui diſciplinas mathematicas cum Græca eruditione, qui præclaram legum diſciplinam, longo artium ſtipatam comitatu, vel a limine viderunt. Nam hos pædagogos eſſe ac caudices, qui nihil ſciant, tum ante omnia gerendis rebus alienos, facile ſimilibus perſuadent. Inprimis vero, quos ingenio valere norunt, diligenter, cũ collegis cauent ne vt profani ad hæc ſacra admittantur: quæ a talibus nec ſciri nec vulgari ſua vel inprimis intereſſe ſciunt. Credo, vt Tiberius, cũ clam arcana *a* Rhodi pertractaret, ſolam conſcientiam liberti, qui ignarus eſſet literarum, adhibebat. Neque quiſquam ſane magis prudens inter hos quam qui prudentiorem arcet. Quanquam & fortaſſe alia de cauſa cæteros præferre hic amant. Quæ Thucydiden politicorum maximum non fugit: qui obtuſiores animos ac tardiores, moderandis rebus publicis vtiliores putat. Vt fortaſſis hæc ſit cauſa, cur nonnullæ etiam diuturniores ſint. Perſpicaces enim iſtos aut ingenioſos, facile mutari, aut res nouas cogitare ajunt.

a *Tac. An.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quos libenter rident. & tutiſſime hoc poſſunt quia plures ſunt. Vt de Regno aut de Optimatum ſtatu, & ætate hac noſtra nihil dicam. Nam in iſtis, neſcio quo pacto, qui, vt vino veteri, exemplis antiquiſſimis vtuntur, ſapientes puto. Et hæ omnium ætatum, non vnius Reipublicæ, calamitates ſunt. Quare & eos qui ſic judicant nunc omittamus; querulos fortaſſe nimis nec viuendi ſatis gnaros. Non moroſitate enim ſed prudentia viuendum eſt. Illud ſine dubio conſtare exiſtimo: quemadmodum in Regno Populus, in Populari pariter ac Optimatum forma, vnus aliquis excludi nequit qui plus poteſt; ita, ſi ex ſola vulpe aliqua ex tribus conſtet, breuem ac caducam fore. Et quemadmodum ex aſino & vulpe omnes conſtant, ita nullam eſſe ex iis, cujus non interſit, vt ſint plures aſini. Quod Regnorum pariter ac Rerumpublicarum principes ante omnia optare ſolent. nam tyrannos quidem nihil præter aſinos optare conſtat. Qui de Rebuſpublicis ſcripſerunt, eam Optimatum ſpeciem præferre ſolent, quæ nonnihil popularitatis habet: eam autem Popularem, quæ ab optimatibus nonnihil trahit. Ego mixtam optime vtranuis puto, in qua plures ſeſquialtero ad moderationem ac tempe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

temperiem clientis noſtri proxime accedunt. ne ſi omnes ſint vnius generis, externi; ſin iſtius de quo agimus ſint pauci, pauci aliquot Rempublicam inuadant. quomodo qui vina miſcent. quæ ſi nimis ſunt diluta, ſtomacho dolores creant: ſin meraca nimis, cerebrum expugnant. Quod non raro eueniſſe ex hiſtoriis docere poſſum. Semper enim quod Reſpublica, quemadmodum in vino ſolet fieri, ab aqua trahit, minus ad ſeditionem abit. Qui de Populari aliquid ſcripſerunt, maximum in ea vſum equos ſemper habuiſſe docent. Inter quos eſt Ariſtoteles. Quaſi nullum aſini habuerint. aut minus recte ac cordate Antiſthenes ſentiret, qui Athenienſibus ſuaſiſſe fertur *a*, vt in ciuitate ſua equis aſinos præferrent. Tales enim eſſe eorum duces. Quod vel vnus Ariſtophanes (ne ad Plutarchum nunc, aut Diodorum, aut Nepotem, aut grauiſſimum Thucydidem, qui pleni ſunt iſtorum, abeamus,) feſtiuiſſime in ſcena docet; quoties Cleones ſuos, aut Hyperbolos, aut Lamachos ad partes vocat. Nam quo quiſque minus ſapit, eo inſtitutum magis vrget, minus rationem audit, & interdum aſſentiri tantum diſcit.

quales

a *Vide Laërt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quales ſunt qui præcedentes ſubſequuntur, & ſecundum eos, more Claudiano, ſentiunt qui vera in Senatu proponunt. Quos habere in deliciis prudentiores, qualis ibi eſt Pericles, neque ſine cauſa, ſolent. ſiue vt obtineant ab aliis quod præceperunt, & in partes ſuas eos pertrahant qui in Senatu tantum numerantur: ſiue vt inter ſe diſſentiant, quos metuunt ne aliter obſiſtant ſibi. Quorum humeris quemadmodum Rempublicam conſcendunt, ita, ſi, quas ipſi conſequuntur dignitates, parum temperanter habent, venæ ſectione aut teſta, more Athenienſibus recepto, a collegis facile curantur. vtrunq; enim poſſunt, quos inuictos multitudo ac conſenſus præſtat. Qui, vt cæterorum, ita eruditionis ac ingeniorum, vbi ſoli præſunt, fata, quanquam omnium ignari, ordinare ſolent. Quod qui ferre nondum didicerunt, aſinos majores puto. Semper enim peregrini ſunt in ea vrbe, in qua ſemper eſt viuendum. Atque hoc vitio, ni fallor, fit parentum, qui viuendi vſum nunquam didicerunt: tantum abeſt vt in liberorum inſtitutione huc intueantur. Ad inflexiones ergo vocum, & ineptas ſyllabarum terminationes, aut, cum per ætatem licet, quaſuis diſciplinas rapitur juuentus: quæ ad vitæ

ſtatum

ſtatum informanda erat. Ita ſit, vt vb
cætera addidicere, nondum neceſſaria a
animum admiſerint. Cujus generis ſun
iſta: SIBI PRECIVM VIRTVTE
ESSE. EAM VIRI BONI FINE
ESSE. NOMEN MAGNVM SINE IN
VIDIA NON ESSE. ASINOS PLE
RVNQVE CAETERIS PRAEFER
RI. POSSE FIERI VT SVMM
PENES ISTOS SIT POTESTAS. AN
MAL VBIQVE OBVIVM ESSE ASINVM
Atque eo euenit plerunque, vt ſi cuiquan
licet die medio aut in Senatu, tale anim
occurrat aut ad dignitatem euehatur, lo
co cedat. vt Rempublicam, qui ea
moderantur: eruditi calamum abjician
nec minus conſternentur, quam Roman
cum *a* Rex Pyrrhus bello Tarentino, el
phantis primum, aut Scytharum equ
cum Darius aſinis aduerſum eos acie
inſtruxit. Qui ſi aliquid legiſſent, ſalte
ſcirent, *b* inter bona omina occurſum
lim aſini fuiſſe. *c* Apud Græcos quide
certe, vel vocabuli ipſius cauſa, etiam i
ſomniis conſpectum, boni ominis fuiſſ
Nequ

a *Flor. l.* 1. *c.* 18. *Plut. Pyrrho. alij. H*
rodot. lib. 4. b *Ariſtoph, Auib.* c *Art*
mid. lib. 2. *cap.* 12.

Neque vllum memini augurium ex veteri memoria plus cuiquam boni, quam Auguſto, Mario, ac Alexandro, aſini occurſum portendiſſe: ita ſingulis euentus optimos ac optatiſſimos in rebus maximis denuntiauit. Et ab omni tempore vix quenquam reperiri credo, qui non magis aſini occurſum quam vel vrſi vel leonis optet; quanquam regis animalium ac principis. Quanto autem melius qui militari ſtudio atque arte equeſtri vulgo imbuuntur. Primo enim omnium monentur, ferox animal eſſe equum, cum quo poſtmodo rem illis fore. quem propterea tractare ex arte & caſtigare diſcunt. Cui rei ligneos Romani hyeme ſub tecto; vbi frigus remiſiſſet, vel in campo vel ſub aëre habebant: quos inermes primo, mox armati conſcendebant. tanta cura, vt a dextris modo, modo a ſiniſtris inſilirent, Credo, vt in bello, ſuo ſimul ac hoſtili, vt fors ferret, equo vterentur. Quod ſi pariter in aſinis nunc vſitatum eſſet, æquius, ni fallor, res humanæ agerent. neque, quod fit vulgo, ad conſpectum primum aut occurſum animalis hujus in Republica, aut vbi literarum laus ſpectatur, animi jacerent. quod fit, quia aſinis aut vti, aut habere hos inſuper quanquã & frequentiores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ſint quam equi, nec minorem animum
vita poſcant, plerique nondum didicerun
Et quam inter ſuos diſciplinam Socrater
exercuiſſe credis, qui nec equis vnquam
ſus eſt, & inter aſinos ætatem egit? Vna
equidem hanc credo; quomodo vtendu
iis eſſet. Vnde & conuiciolo a quodam
jus generis aſperſus, admirante altero quo
nihil reſpondiſſet, Et quid ſi me calce a
nus læſiſſet, inquit? Atque hæc ſumma f
re eſt eorum quæ de illo Xenophon ac Pl
to tradiderunt. Nam quemadmodu
a Telemachus, quod equis apta ſatis Itac
non eſſet, aliud agebat: ita Socrates ac ſ
pientum quiſque, eas, quibus ſibi opus fo
in vita crederent, omiſſis reliquis, exercu
runt. Neque de te dubitare poſſum, qui
ſi ipſe te, ſi rationem, ex præſcripto Sto
corum, in conſilium adhibeas, ſi antiqu
tatem, ſi ætatem noſtram ad hanc exig
ac ſerio expendas, morbo tuo, qui nu
grauis tibi, aliis moleſtus, facile mede
poſſis. Magnas animas in Academiis re
linqui doles. Et hoc tamen ſolet fieri. Aſ
nos de iis judicare doles. Et hoc tamen ſo
let fieri. Eoſdem aliis præferri aut ad mag
ſtratus euehi, cum aliorum tædio, mæro
auter

a *Odyſſ.* 4.

autem tuo ac moleſtia, inculcas. Etiam hoc ſolet fieri. Quod ſi idem vel de cane dicas vel de boue, monſtrum ac prodigium fatebor. Et hoc nunquam ſolet fieri. Tantum inter hos & aſinos diſcrimen eſt. Vt nunc publica omittam, quoties nonnulla mecum cogito quæ ſummis noſtra tempeſtate viris euenire ſolent; impetrare a me vix poſſum quin exclamem, Solos aſinos beatos eſſe: ſolos enim judicare nec judicium ſubire. nihil enim ſcribunt & ſcribentibus præfigunt legem, Vnde & faceriſſime Anacharſis, Mirum ſibi populum videri, in quo ſapientes quæ dicenda ſunt proponant, imperiti judicent. Hi ſunt, qui accuſant alios quod nihil, alios quod pauca, alios quod multa, alios quod friuola ac nulli rei, alios, quod aliena edant. Hi ſunt, qui de fama aliorum & ingenio cognoſcunt. qui in cornu tribunalis, ſæpius in ipſo ſedent, cum de erudito homine aut fama ejus judicatur. tantum, quia nulli rationem reddit, nullum ſe ſuperiorem aſinus agnoſcit. Hi ſunt, qui eadem ſæpe in trutina cum magiſtello aliquo aut pædagogo magnam ac ardentem indolem committunt; neque raro & poſtponunt. Quibus alii accedunt. vt opinio multorum fiat qui vnius ſtupor eſt. Quare, cum id quauis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tempeſtate, quouis loco vſitatum eſſe conſtet, vt in regno, in paucorum pariter & populari forma, vt in purpura, in toga, in lacerna denique ac in ſago, æque ac in diſciplinis, aſini reperiantur, & hos reliquis præferri, omnium querelæ temporum, noſtrorum quoque experientia teſtetur, quid jam ſupereſſe, o noſter, cenſes, niſi vt, quod emendari nequit, fortiter feramus? ipſi forſan pars eorum quos miramur aut contemnimus. Quanquam, quod Reſpublicas nunc cogitas ac voluis, mihi credas velim, minimos nos eſſe qui in chartis aliquantum deliramus, & aut verſum male ſyllabis inſtruimus, vt pedem trahat: aut ſcriptorem aliquem non optime emendamus, vt in vitio permaneat vel alio contaminetur: aut de rebus ac principibus Romanis vel Pelaſgis, publice aliquid narramus: aut Reſpublicas ex voto ac virtutis norma, vel formamus vel effingimus: per quoduis denique eruditionis genus, tuti ac tranquilli animum verſamus. Majores ſunt, qui, poſtquam regna tota, totas dorſo admiſerunt ciuitates, eas aut excutiunt aut turpiter dimittunt. Quanquam, vt de me hoc addam, vnum malim, qui Rempublicam ex vſu nullis literis imbutus tractat, quam trecentos, qui ex libris faſtum, aut ex atra bile
ineptien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

neptiendi morbum contraxerunt.qui non aliter quam aſinus cum lyra, aut cercopithecus ſine cauda, riſu, vt feſtiue Flaccus loqui ſolet,plebem quatiunt,atque ipſi ſeſe in theatro publico traducunt. Et quæ tibi, optime adoleſcentum,quæ hic vita manet?

Per inſidias iter eſt ac terga ferarum.

Vtque viam teneas nulloq; errore traharis,

callide loquendum, callide circumſpectandum erit. quæ ab indole ac candore iſto aliena noui. Ac qui nunc injuriæ nonnihil tibi credis fieri qui nondum admittaris; vbi propius acceſſeris, vmbraticos intelliges haberi qui hæc ferre nondum didicerunt. veteranis enim illis ac in rebus diu exercitatis, ſicut latus aſino ad plagas, ita animum ad contumelias induruiſſe. Multa quoque aduerſus animi ſententiam videbis addiſcenda aut premenda eſſe. Et inprimis, recuſandum callide quod petis, ne aut nimium aperta cuiuis pateat,aut penitus diſſimulata nihil impetret ambitio. Nõ enim ſolis, ne quid erres, qui recuſant, dignitates tempeſtate noſtra ingeruntur: quanquam ſæpe ad pertentandas voluntates multum prodeſt dubitatio. Interim rideri eos ſenties qui ſimulare neſciunt cum opus eſt: rideri, qui diſſimulare neſciunt quod ſimulẽt. Et hos maxime rideri. Larua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

enim opus eſt, ne quiuis videat quid agas. & hæc ipſa riſum mouet ſapientioribus, ſi alibi apparet. Callide condenda eſſe odia, & tanquam e profunda penuaria, cum vſus fert, promenda: vultus ſpeciem aduerſum animi ſententiam inſtituendam, ne pelluceant arcana. quæ patere præſtat quam non penitus celari: apud populum præſertim, qui ſimplicitatem ſibi, vt hic noſter, vindicat. Sed & maxima cum arte blandiendum, ne id ſentiat quem palpo tangis: & cum arte, neque minimo cum ſumptu, dona clam ſpargenda eſſe. aduerſus quæ, nec probitatem pauperis nec eruditi vel tantillum poſſe, ſero animum aduertes. Etiam cum arte, vt præclare Plato tuus in Phædone loquitur, credendum eſſe ſingulis. qui omnino nihil tale, in animum admittitis vel ipſi, vel ab alio timetis. ſimpliciſſimi mortalium, ac, niſi veſtra res hic ageretur, aut vos male ſortis veſtræ pœniteret, feliciſſimi, qui nullam niſi in theatris exerceri hiſtoriam aut mimum, nullas laruas, niſi quæ ſpectantur inter ſcenicos, aſſumi creditis. Cum plerunque inter iſtos larua animi ſit vultus: quem non minus callide quam animum profunda ſimulatio inuoluit. Vt jam verba, ſeſamo humanitatis ac papauere conſperſa, quibus nihil
ibi

ſibi vſitatius, omittam. Quorum intimam ſignificationem, neque e Nonio aut Feſto veſtro, neque ex titulo, qui De verborum vſu ac ſignificatione apud vos conſcriptus extat, didiciſtis. Quia ex obſcuro animorum penu, ex ingenio cujuſque, qui pro tempore aut occaſione iis vtitur, aut longa denique experientia, petenda eſt. Ac nunc metuo, ne aliquando tibi id eueniat, quod aliis, quos ad Rempublicam ab illis ſtudiis tranſiſſe noui. Vt initio, qui candor eſt Muſarum, credant cuiuis: mox decepti aliquoties ab iis quos ex animo ac prorſus velle ſibi ante exiſtimabant, ſubito odiſſe, non hos tantum, ſed & homines incipiant: ac ſic omnes vitent, omnibus abſtineant. quo fit, vt nec hilum poſtea procedant, ac latere denuo incipiant. Quid ſi autem in ſeditioné homo ſimplex incidas aut factionem? Et quid ſi in eos, qui communi diuidundo aut prædando gnauiter incumbũt? Tales enim, quanquam ſoli ſibi ſtudent, neque quicquam tam ſectantur quam vt pluſculũ de præda ferant, multo tamen æquius participem quam innocentem ferunt. Et vt lucrum iſtos, ita odium aut riſus hos conſequitur; infelices, nempe, ac de puteo *a* Æſopi aſinos.

a Vide Tertull. lib. 4. aduerſ. Marc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aſinos. Sed præcipue dolebis, cum præferri eos ſenties de quibus conqueri plerunque ſoles. Qui,vt feram canis, ita pulchras animas, veſtigiis vbique colligunt ac perſequuntur. Videbis,qui virtutes aliquot ex Ariſtotele aut antiquo aliquo gloſſario nunc didiciſti, omnes ſimul ad prudentiam flectendas. Quæ ſi alibi aberrat, neque cæteras neque ipſa ſe tueri poteſt. Etiam abſolui pro ſucceſſu quemque aut damnari.quæ profecto formula,cum admodum vulgaris videatur, ſummos quoque principes ac proceres involuit. Nam quod tu fortaſſe ſpiritus nunc ſumis, quia aut vim maſculam Thucydidis, aut ſtrictam Taciti prudentiam, aut cæterorum,qui vel Græce extant vel Latine, genium ac venuſtatem penetras, qui in oratoria nonnihil profeciſti, qui jam nodos juris optime expedire didiciſti;vide ne non vllus iſtis omnibus ſit locus, vbi non ſcientia ac eruditio, qua ſemper abundatis, ſed prudentia ac ſingulorum quæ dicuntur vſus agitur. Neq; enim, vt vos eruditi conſueuiſtis, mutuum hic muli & mulorum patres nulla vitæ hic aut ratio aut dignitas excludit. Cui rei equidem vix poſſum, quin fabellam, quam ex ſene quodam, qui ad ſapientiam Æſopi ordinare cuncta ac diſponere ſolebat, audi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

fuiſſe memini, apponam. Ferunt, cum de regno animalia certarent, pluribus ſuffragiis leoné cæteris ac aſinum prælatos. Nam vulpeculam, quam merito vterque metuebat, ſpecie honoris, quod non raro fit hac tempeſtate, ablegatam ajunt. In leone vigor mentis ac alacritas, in aſino maturitas, modeſtia, ac cætera, diuerſa omnia, placebant. neq; quiſquam dubitabat, quin, ſi hominum judicio res ageretur, plures pro ſe aſinus haberet. Quod cum alter intelligeret, celeritate præuertendum rei ratus, dum deliberat pro more noſter, rem confecit. Aſinus, quod candidatis noſtris euenire ſolet, ſero, &, quod vulgo dicitur, poſt feſtum venit. Quæ res illi, vt quem fata ad imperium vocabant, optime ſucceſſit. Et

Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

Aſinus in aula, aſinus in curia, ac ſcholis, aſinus vbiq;. *Ille regit terras.*

Leo denique inter belluas ex dignitate poteſtatem tenet: aſinus ſupremum inter homines tuetur locum. Atque hæc apud illum. Cujus rei infinita prope ſingulis diebus documenta vnus præſtat. Quæ ignari rerum admirantur: qui prudentiores ſunt, cum riſu, quanquam aliquo cum damno, facile tranſmittunt. Qualem plurimæ amœnitatis ſenem quondam me

nouiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

nouiſſe memini. Qui imperium in terris aſino deberi ſæpe in vino prædicabat. Cujus cauſam alii cum quærerent, fatale hoc eſſe ajebat. neque aliud ab eo impetrari potuit. Quo, vt vetita plerique ac negata, aut abſtruſa, acrius ſectantur, plurimorum animos ac deſideria accendit. Aliquando autem tempeſtate ſodalitia abreptus, cum haud parum liberaliter pocillis inter ſuos velitatus eſſet, & amici plurimi vrgerent; Togam igitur componite, & audite, inquit. Ioui ferunt aliquamdiu antequam in terris genus hominum extaret, inter epulas, Parcarum manu conſignatam excidiſſe pyxidem. in qua, quis potentiæ ac regno deſtinatus eſſet, ſcriptum tenebatur. Eam a Prometheo repertam. Quam innato curioſitatis vitio cum reſignaſſet, literis antiquis A. S. I. annotatum inueniſſe. De quo Aſiam (id matri ejus nomen, quam in dubiis vt plurimum conſulere ſolebat,) cum interrogaſſet; hanc ad Aſiaticos, tum nondum natos lubentiſſime id rettuliſſe. neque dubitaſſe, quin imperium terrarum genti ſuæ Iupiter ſeruaret. Ipſum vero, aliud de eo ſuſpicatum, paulo poſt, cum homines facturus eſſet, omnes aſinos ad ſe vocatos, capite & faſcino truncaſſe. In fingendo autem genere huma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

humano cum leonis vim ac ſtomachum quibuſdam, paucis cor vulpeculæ dediſſet, cæteros qui ſupereſſent, cerebrum ac partem alteram appoſuiſſe. Quos tum ad imperium atque opes perueniſſe. Ac Deorum quidem maximum, haud mediocriter, & ſero tamen, indignatum, Caucaſo Titanum affixiſſe: ex iis autem quoſdam denuo in aſinos mutaſſe. Porro, cum prudentiores ſeſe, itidem, vt tempeſtate noſtra, nemo ferret, & haberent in hac gente fœminæ a quo non abhorrerent, paucos iſtos maxima fœcunditate terras impleuiſſe: ſed & plurimas, inuito Ioue mox colonias duxiſſe. Qui cum ſub Deucalione aquam terris inuexiſſet, & jam omnes aſini natarent, nec Deorum quiſquam dubitaret, quin de toto genere actum eſſet, vnum in Parnaſſi vertice ac faſtigio, hæſiſſe: quem ibidem Muſas, quod pulcherrimus notiſque candidis diſtinctus eſſet, educaſſe. Alium non procul ab antiquo Latio repertum. Quendam inter aras & imagines Deorum, quendam apud roſtra, curias, & fora, quendam inter ſydera inuentum, qui moueri loco poſtea non potuit. Maximo cum metu Iouis. ne ſi forte & ibi plures eſſent, res Deorum, vt nunc inter homines, non ad triarios, quod vulgo, ſed ad

aſinos

aſinos rediret. Ita denuo ad Academias, ad templa, ad Reſpublicas tranſlatos. Vnum ſuo loco adhuc inter ſydera notari. Ea ratione ergo, ne quid fatis aut eorum legibus decederet,

Omnibus in terris, quæ ſunt a Gadibus vſque
Auroram & Gangen,

cum imperii prærogatiua aſinum vbique ſuſpici. Quæ, cum placuiſſe cæteris videret, plura generis ejuſdem addidit. Inter quæ, & illud. Cum eadem tempeſtate, inquit, ſoli tum ſuperſtites Deucalion & Pyrrha, Themidis oraculum conſulerent; inſcriptam literis ignotis tabulam in templi adyto projectam repperiſſe, fertur. in qua principis terrarum nomen notis his ſignari credebatur ∀· ∀· Ⅎ· ∀· N· S· ꓤ· Ⅎ· Id innotuiſſe Ioui, quem de ea ad Apollinem, doctiſſimum Deorum, ſed qui Græce tantum loqueretur, rettuliſſe. Apollo autem, filius Latonæ, cum grammaticam Chaldæam didiciſſe ſe negaret, & Chaldæi omnes morbo pluſquam ſontico diluuio extincti eſſent, ad Mercurium Phœnicem, quem nonnulli Thautum vocant, elementa cæteris ignota tranſmiſiſſe. Sed & hunc, cum expedire ſe haud poſſet, nihil admodum pronuntiaſſe. Ipſum ergo Iouem, cum ad epulum haud multo poſt vocaſſet

Deos,

Deos, qui in eo toti eſſent, vt acumen quiſque patri pro ſe approbarent, Mercurium, Cyllenes filium, de literis inuerſis, vt acuto eſt ingenio, ſubmonuiſſe. Quod cum callide Prometheus excepiſſet; eas, qua decebat, facie ac habitu conſtituiſſe

A. A. F. A. N. S. R. F.

Et cum facto, Alexandrum, Ammonis Filium, Anno Nouo, Summum Regem Fore, maximo cum gaudio ac voluptate, exclamaſſe. Id oraculi ambages velle. Anno autem Nouo, nouum ſæculum aut orbis vniuerſi regnum deſignari. Repperiſſe ergo de quo dubitarent. Quod cum verum multis, multis duriuſculum, vt ſæpe Criticorum conjecturæ, videretur, Iouem nihilominus ad nomen noui principis nonnihil trepidaſſe. Donec feſtiuiſſimus Silenus, qui ad menſam ſemiebrius errabat, Deos omnes, aliud vt agerent, rogauit. Solum quippe ſe diuinitus, cum aliquantulum præſertim irrigatus eſſet, monita occulta atque oraculorum mentes peruidere. In quæ omnibus conuerſis, ipſe ſuauiter ſubridens ac Mercurium complexus, O, inquit, Tite,

ſi quid ego adiuto, curamue leuaſſo,
Ecquid erit præmi?

Et cum Bacchus pateram ingentem pariter

cum vino, fore præmium dixiſſet; Igitur quod quæritis habete, inquit, ASINOS, ASINORVM FILIOS, ASINORVM NEPOTES, SVMMOS REGES FORE, oraculum pronunciat. De cujus veritate Iouem poſtea non dubitaſſe. Sileno autem aſinum vectorem pariter cum patera ceſſiſſe. Quæ cum riſu omnium excepta ſunt. Ita ille. Neque multo poſt, cum in pariete aduerſo venuſtiſſimam tabellam, in qua forte aſinus, Sileni vector, mira arte ac induſtria depictus eſſet, oculis notaſſet, ad me cum pocillo, Hoc eſt, illud, inquit, animal, imperio ac rebus deſtinatum. Tu Silenum iſtum, ſi nos amas, imitare. qui nec frænis oberrantem reuocat aut vrget, nec repentem calcibus impellit, ſed, vt vides, geritur, & domino eunti totum ſe permittit. Idem quoque, omnium ſecurus, nictat oculis aut dormit. Magna enim ſapientiæ humanæ & tranquillitatis pars hoc ſcito continetur, ASINIS NON OBLVCTARI. Quibus tum fabellis partē noctis feſtiuiſſime exegimus. Nam quod ajunt, non imperio ſed ſeruituti animal hoc natum; ejus quoque, niſi fallor, rei in hominibus præſidium habemus. Et quo iſta tam inepta atque inſulſa? Credo, quia ſoli ſeruitutem homines ignorant. Et quid illis agas, qui

ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ſub principe ſtolato viuunt, quibus vxor domi eſt portiſculus? Aut quid illis, qui ad aliorum viuunt nutum: qui perpetuo hoc ſaxum voluunt? Mihi quidem aſini ac tales minimo videntur intereſſe. Quid tot populis, tot vrbibus, quæ fœdam ac degenerem aut hodie aut olim dilexerunt ſeruitutem? Ac illuſtre eſt inprimis quod de Lydis veteres commemorant. Gentem olim bellicoſam, poſtquam victa eſſet, a virtute ad artes hiſtrionias ac lenocinia traductam, ſponte in ſeruitutem deflexiſſe. Quos vt omittamus, quot vel hac ætate vel parentum extiterunt, qui, cum imperare poſſent, aliis ſeruire mallent? credo quod ad ſeruitutem eſſent nati. Inter omnes olim gentes locum principem Iudæos tenuiſſe conſtat: regno & antiquitate etiam ante iſtos. Et præclaros quidem hoſce, cum æquali jure inter ſeſe agitarent, ne non regem impetrarent, etiam tyrannum, Deo id monente, libertati prætuliſſe. a Ac ne ſine cauſa quidem eueniſſe putem, vt Rex, qui tum quærebatur, aſinas parentis ſui tam ſollicite inueſtigaret, ac mox inueniret. Tales enim erant quibus imperator quærebatur. Vbi, vt jam ante in

---

a *Sam. l.* 1. *c.* 9.

maximis principibus, augurium ſummarum rerum aſinos habemus. Conſtat, nulla magis quam Demoſthenis ætate floruiſſe Græcos. At quam gentem! cui nihil ſimile aut natura finxit vnquam aut abſoluit ſapientia. Vt omittam, maximum ingeniorum ibi extitiſſe tum prouentum. quæ vt ante ad maturitatem haud dum penitus peruenerant, ſic haud multo poſt defecerunt. Ea tamen tempeſtate, meros ſolidoſque aſinos fuiſſe conſtat. qui cum vniuerſo imperare poſſent omnes, cum id vellent ſinguli, in ſeruitutem omnes inciderunt. Quantos autem Theſſalos fuiſſe oportet ac Thebanos? qui neglectis ciuibus quos metuebant, belli ſummam in Philippum, hoc agentem, tranſtulere. quo externæ dominationi, quam in ſuis metuebant, acceſſiſſe conſtat. Quantos autem & Spartanos! qui ad libertatem nati, quam tot annos pulchre animo ac legibus defenderant,

vno verbo victi quam cito!

quem auxilio venturum, ſtulte, addicenti id, credebant, euerſorem paulo poſt ſenſerunt? Ne Bœotos tangam; tanto odio Phocenſium atque æmulatione tactos, vt obliti cladium ſuarum, interire quam non perdere eos præoptarent. Et Athenienſes,

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

qui tam ſero ſe Thebanis jungerent, vt ſimul intelligerent quid poſſent,& jam victi eſſent. Quo hoc aſſecuti ſunt,ut qui Macedoné,quamdiu adhuc concordes agerent, inſectarentur; vbi diſſentirent, contra æmulos accitum ſubito, aduerſus omnes viribus inualuiſſe perſentirent. Atque is Philippus, cum diu equis fruſtra ac equitibus in bello eſſet vſus, tandem aſinos præferre cœpit. Quæ res magnum illud vafro principi oraculum expreſſit: *Omnem ciuitatem quæ onuſtum auro aſinum admittit, expugnari poſſe.* Cujus dicti vis e ſinu Rerumpublicarum & experientia,non a ſcholaſticis ingeniis petenda eſt. Illud certum, nihil iſta ad Bucephalum. Cui, quod poſtremum eſt in aſino, ſcriptores tribuunt: quod, infeſtus aliis, ſubmittens ſponte genu dominum exciperet. Conſtat laude armorum gentem nullam ante Pop. Rom. poſt vllius ſæculi memoriam fuiſſe. Illud quoque conſtat, ab Auguſti principatu ad Trajani, maximum ac potentiſſimum fuiſſe. Ea certe adulta ejus ætas eſt. Qua tamen tempeſtate, vno forte excepto, qui cum ſumma poteſtate ſolus imperaret, aſinos fuiſſe cæteros, quis dubitat? Nam ſi proprium eſt aſinorum, quiduis quod imponitur non modo ferre, ſed & patienter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

bajulare, admirabor, ſi terrarum orbis plures vnquam aut majores tulit. qui ne quidem video, qua ratione excuſari Naſo poſſit, quod, cum omnes ab antiquo Chao ad ætatem ſuam tranſmutationes perſecutus eſſet; rem mirificam præſtare ſe exiſtimauit, qui ad Dictatorem Cæſarem ejuſque transformationem, opus deduxiſſet. Certe quidem principem, quod ſemel hic dicendum, quo, ſiue immenſum animi vigorem, ſeu clementiam diuinam, ſeu ciuilem pariter prudentiam ac militarem ſpectes, nihil majus aut Romanus aut terrarum orbis vnquam vidit. ni virtutes pariter ac vitia, ad ambitum ac dominationem contuliſſet. In quo tamen ille, tanquam ſummo rerum Romanarũ ſpatio, ſubſiſtit. Vt extrema omnium ſit iſta, CAESAR IVLIVS IN DEVM. Quaſi non hac veriorem prætererit, ROMANVS POPVLVS IN ASINVM. Qui hunc ipſum, re & verbis (ita enim dici voluit) nepotem Veneris, nulla alia de cauſa, niſi quod tyrannidem inuexit, ex ingenio alterius tyranni, qui hoc commode excogitarat, cœlo conſecrauit. Quæ, profecto rransformatio, & longe major & poëta fuit dignior. Neque intelligebant miſeri Quirites, nullum majus eſſe vinculum ac magis aſininum, quam religionis

velum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

velum: non quæ ſimplex eſt ac vera, ſed quæ Reipublicæ ac ſtatus cauſa, qui in ciuitate obtinet, excogitatur. Quod Romanis ab initio fuiſſe curæ, pro comperto prudentiſſimus quiſque habet, ac non ſine cauſa grauiter a *a* S. Auguſtino inculcatur. Qua tum machina ac arte princeps callidiſſimus effecit, vt qui patrem ſuum de tyrannide ſuſpectum jugulaſſent, jam ſublatum, huic confirmandæ adorarent: vtque, ſimul & de ipſo & de eo qui tum obtinebat ſtatu, quod præcipuum regnandi inſtrumentum eſſe nemo neſcit, optime ſentirent. In quas partes cœlum cum aſtrologis jam Pontifex pertraxit. cum, ex Græcæ adulationis more, qui capillos quoque *b* Principum, cum eſurirent, inter aſtra pridem obſeruaſſent, neſcio quod Cæſaris defuncti ſydus lepide excogitarent. Quod ad illuſtrandam hujus quidem gloriam, vt recte a veteribus notatur, pertinere hi volebant, *c ipſe* autem *animam parentis ſui eſſe voluit: eique in Capitolio ſtatuam, ſuper caput auream habentem ſtellam, poſuit. cujus baſi* CAESARI HEMITHEO *inſcriptum*

 fuit.

a *In libb. De Ciuit. Dei.* b *Vide Catulli Eleg. De Coma Berenices, & Cononis artificio.* c *Seru. ad 9. Eclog.*

fuit. Quas ineptias, cum aliis prodigiis, ſcriptores, vanitatis hiſtriones ac tyrrannidis artifices, mirifice extulerunt. quos huc liberalitate callida Mæcenas (quod quam pauci hodie pro libertate præſtant!) ſi quis eo tempore, politicarum rerum gnarus, ac, tum autor, tum præcipuus formator Principatus, vt momentum dominationi ab opinione populari adderet, facillime pertraxit. Mihi quidem, qui in *a* nummis ac eorum ectypis, non ſemel aſtrum hoc, aut potius cometen, diligenter contemplatus ſum, Cauda aſini videtur. quæ poſteriore ſui parte, qua comata maxime eſt & denſa, vni radio annexa eſt. Qualem vnum hic nunc exhibemus.





Nec Vulcanium aruſpicem erraſſe exiſtimo,

a *Vide Nummum, apud Vicum, Goltzium, alios. Seru. ibid. ex Babio Macro.*

no, qui ad noni finem ſæculi ac decimi ingreſſum, pertinere eum credidit. quo, extincta libertate, Pop. Romanus, olim caput orbis, tum, quod capiti quam maxime eſt oppoſitum, virtutes aſini ac formam, ſeu fatali rerum, ac præcipue imperiorum, motu, ſiue ira Deûm, ſponte aſſumpſit. Primus, vt eſt apud *a* Plinium, illuſtre hoc arcanum cœli, ipſe Auguſtus vidit. vulgo autem cætera, vt ibi dicitur, permiſit. Quod cum lego, fieri vix poteſt, quin de Tranione cogitem: qui cornicem & vulturios, ac neſcio quas nugas quas gerebat ipſe, in pariete, cum nuſquam ibi eſſent, domino demonſtrat.

b TRAN. *Viden' pictum vbi ludificatur cornix vna volturios duos?*
Cornix aſtat: ea volturios duo viciſſim vellicat.
Quæſo huc ad me ſpecta, cornicem vt conſpicere poſſies.
Iam vides? THEV. *profecto nullam equidem illic cornicem intuor.*

Ac ingenue Theuropides, longeque aliter quam populus Romanus. qui, ſi in pariete cometam aut in cœlo boues aliquot aut aſinos

---

a *Lib.* II. c. 25. b *Plaut. Moſtell. Sce.* *Melius.*

aſinos volantes primus conſpexiſſet Cæſar, protinus aſſenſum cum ſeruili ac ridicula interpretatione præbuiſſet. Bruta enim res eſt ſeruitus ac ſine ſenſu: quem lethargum appellare poſſis. Ac nobis quidem fixum eſt ac ſedet, niſi huic operi fatalis dies ac ſupremus interueniat, vnum ſenectuti noſtræ reſeruare opus. In quo non ineptas illas ac poëtis decantatas, ſed illuſtres ac inſignes Rerumpublicarum transformationes, cum earum cauſis, deſignare eſt animus. inprimis autem, quonam modo Sparta ac Athenæ, tum Romani, quibus princeps hic debetur locus, hominem in aſinum exuerint. Tantam enim populi iſtius ac tam incredibilem ſimplicitatem ac ſtuporem, tantam ac tam exquiſitam in ferenda ſeruitute patientiam vbique obſeruamus, vt, cum primo omnium a Sylla, mox a Cæſare eluſus eſſet, nihilo tamen minus tertium admiſerit vectorem. qui, mutato tantum Dictatoris nomine cum ſpecioſo principis, quocunque vellet, gentem nunquam vſque ad tempus illud bello victam, auribus pertraxit. Neque ſecus quam ſi vnus ille agaſo, cæteri, vt erant, aſini fuiſſent, conſulem ſe ferens, & ad plebem, ſcilicet, tuendam, tribunicio contentum jure.

vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocii pellexit, inſurgere paulatim (in aſinorum, nempe, terga,) *munia Senatus, magiſtratuum, legum, in ſe trahere, nullo aduerſante.* A ſimplicitate quidem pueri laudantur, magis vero aſini: prope tamen ſupra iſtos hac excelluiſſe Pop. Romanum reor: quem plerique, non diſſimiles, tantopere miramur. Quippe Auguſtus, de quo ante, cum nominibus non aliter quam talis luderet, ac modo nomen principis, quod in Senatu libertatis præſide ac ſequeſtro, ea adhuc ſalua & incolumi, obtinuiſſe non neſciret, lepide aſſumeret, modo callide plebeiam ideoque ſacroſanctam tribunorum poteſtatem; ne a principe ad populum; nunc, pontificatum, ne ab ejus majeſtate ad Deos & religionem quiſquam prouocaret, ſolus occuparet; ſolus Romuli nepotes bubalorum inſtar naribus ductauit. Quo vt ſenſim iret, in triumuiratum facile conſenſit: gnarus, nihil tuto pariter ac ſubito mutari. Tum, qui multum poſſunt, melius occaſione aut ſuis ſibi vitiis quam armis amoueri. cæteros, qui aut virtute, aut opibus, aut dignitate metuendi eſſent, minus autem

Tac. Annal. l.

autem poſſent, melius proſcriptione tolli. Inter quos & eum, cui omnia debebat, Marcum Tullium, Antonio conceſſit: ne aut libertatis, credo, pro Republica exactor grauis, aut priuatæ exprobrator gratiæ extaret. quam nonnulli, cum excedit modum, odio aut bene meriti exitio extinguunt. Facti ſane indignitatem, etiam Velleius, quanquam ſummus adulator Cæſarum, profeſſus eſt. Duo igitur cum poteſtati ejus adhuc muli, ſatis ſtolidi, Antonius ac Lepidus obſtarent, qui inuidia proſcriptionis laborarent, cujus ſibi vſum ac emolumentum vafer ille reſeruarat, alter, cum a mane primo ad occaſum ſolem helluaret, & in rebus nihili non parum occupatus, nugas ageret,

Sinuq; amicam frigidam premens caldo,
Columbatimque labra conſerens labro,

jam Octauiæ oblitus, in ſcortillo peregrino deperiret, alter, legionum aliquot fiducia inepte ſe efferret; ille quidem cæſus, hic ſine vllo apparatu in perpetuum Circeios relegatus eſt. Quibus jam e medio ſublatis, nihil magnum adeo aut graue fuit, quod non reliqui geſtarent, aut non ipſe auderet. Ita, vt, quæcunque adhuc Triumuir decreuiſſet, vnico decreto Princeps abrogaret. Neq; minus tamen adhuc ludere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

larua ac hærere, adhuc poteſtatem recuſa-
re, vix poſtremo, ad decennium, ſed ægre,
perſuaderi. quo elapſo, in quinquennium,
eoque iterum, in alterum, rurſuſque in de-
cennium, poſtremo & in alterum, cum
ſolus omnia jam poſſet, prorogare ſibi.
Donec, tot decenniis elapſis, ſerio abire ſe
ac mori ſenſit. Nam Tiberius vrgebat. qui
ne diutius ſic oberraret, & vt alter Diuus
eſſet, cura conjugis induſtriaque factum eſt.
Quæ cum ſenem diu luſiſſet, nec de ſucceſ-
ſore, cæteris ſublatis, dubitaret, ita miſe-
rum amoris ſpecie afflauit, vt paulatim, &
ex arte, eo iret, vnde, quanquam Deus,
nunquam rediturus eſſet. Comitatem cer-
te vxoris languor; languorem, iſtum tan-
dem mors excepit. De qua certus, vera ac
jocoſa voce aſtantibus illuſit; percuncta-
tus, *a* Ecquid vitæ mimum ſatis commode
egiſſet? Neque quiſquam fuit, qui vel eo
ſaltem tempore, quo jam perſonam cum
choragio deponeret, nec vltra cuiquam
metuendus eſſet, lepide roganti lepide re-
ſponeret,

Epol, Syriſce, te curaſti molliter,
Lauteque munus adminiſtraſti tuum.
Abi.

G Cæte-

a *Suet. Aug. c. 99.*

Cæterum cum libertate fructum ejus maximum, feſtiuitatem quoque amiſerant. Infeliciores quam vel Stichus aliquis vel Dama. quibus ex Saturni legibus, Decembri menſe ſaltem, argutari aliquid præfiſcine in dominos concedebatur, aut vertigo vna libertatem conferebat. Et proſpectum erat, vt in poteſtatem proximi hæredis, tanquam aſini, tranſirent. quia jam de ſucceſſore cautum erat. Quod & cæteri mox imitati ſunt. Ne de libertate aut quiſquam cogitaret, aut cum ea nomen Cæſarum in ludum ac ludibrium, vt inquit ſcriptor prudentiſſimus, abiret. Nam qui vni haud inuiti ſingula initio conceſſerant, vbi omnibus jam cuncta quæ aduerſus vnum aut complures qui æqualitatem exuunt, opponi ſolent in Republica, adempta eſſe animum aduerterent, tanquam aſini, illuſi ac decepti

ratione ruentis acerui,

attoniti aſtabant. quod viderent, præter expectationem, *a* penes vnum dominationis vniuerſæ vires pariter & frænum eſſe: quam vnius poteſtatem eſſe non intelligebant, niſi cum ſeruirent. De qua-

ne

a *Quæ eſt vafra illa ars in Repub. quæ* παρὰ τὸ μικρὸν *dicitur ab Ariſtotele.*

ne tum quiſquam dubitaret, vt plerunque in Comœdia ſatellites, ita nouem hic prætoriæ cohortes ſequebantur; e militia in vrbem pulchro artificio tranſlatæ. Sine queis, errore prorſus puerili, C. Cæſar curiam acceſſerat: oblitus, poteſtatem quæ æqualitatem tollit, vt ſit conſtans, armis muniendam eſſe. ac ſi deſint homines, exemplo Mithridatis, adhibendos canes potius quam nullos. Et hic Syllæ, quod neſciret literas objecit. Porro eſt in aſino pars non ignobilis quam caudam vocant. Eam in hoc Romuli jumento aliquot euellere conati erant. Qui cum fruſtra eſſent, vnus iſte, non in gentem magis Iuliam quam ſeruitutem Populi Romani adoptatus, ſiue *a* ad Bubula, ſiue Aſinina, quæ vbique poſtea inuenit, natus capita, in omni vita, ſuum illud canticum, FESTINA LENTE, vſurpare doctus, cum ex ea pilum vnum, ac mox vnum, totieſque vnum demeret, paulatim omnes dempſit. Vt Quiritum quiſque, eques pariter ac pedes, qui Rempublicam tenerent, calui ea parte ſtarent quæ aperta riſum mouet. Quod ſpectaculum tot aſinorum, longe vafro principi jucundius fuiſſe reor, quam camelopar-

a *Suet. Aug. c. 5.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

dalin aut album elephantum, quos quotidie Senatui ac plebi in ſolatium amiſſæ libertatis exhibebat. Neque aliud ſpectaculum in mentem morienti venit, cum de mimo ex amicis ſcire vellet. Quem ſic egit, vt in eo primas ſimul ac poſtremas ſuſtineret. reliqui id eſſent, quod Simalio ac Donax: quorum nomina in ſcena recitantur, vox deſideratur. Qui ſollicite interea ac magno opere, qua voce ſalutandus ſibi eſſet, conſultabant. Alii enim Romulum, Auguſtum alii dicendum judicabant. Quod, vt rebus ſuis congruum, in hac comœdia admiſit. Nam augurio auguſto poteſtatem ſuam auxit: donec, non perpetuus Dictator modo, ſed Magiſter ſimul, non, vt ante quidem, Equitum, ſed Aſinorum eſſet. Qui, ne quid deeſſet, ad ſtuporem, legibus aſtrictum, legibus ſoluerunt. Ita enim factum, vt paulatim leges fierent quæ vellet. Quo contentus, limites imperii proferre, vt cæteri, neglexit. Et jam iſta parens, qui & fundamenta ſeruitutis probe jecit; Cæſar, dico, Iulius. Qui feſtiue plurima ante eum, & ſecuritate tanta, vt luſiſſe inter Aſinos Arcadicos, aut Reatinos, animi ac voluptatis cauſa dicas. Quemadmodum cum Veneri ſe oriundum credi voluit. quo autoritatem cœli, pro ſe

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ad imperium transferret. Quaſi quiſquam neſciat, eandem omnium noſtrorum matrem eſſe: neque minus hac origine Aſinum quam Cæſarem cenſeri. Quod commentum tamen lepidiſſimum Æneadis haud parum placuit. vt tantis animis tantoque ſanguine emptam a ſe libertatem vni reſignarent. Quid ni enim? qui tam populo ac plebi vellet. Quemadmodum, cum poteſtatem tribuniciam a Sylla penitus oppreſſam, magna popularitatis ſpecie ac laude, lege Plotia reſtituendam cenſuit, curauit. Quanquam ſane haud minus in rem ſuam, quam cum conſpirationibus queiſcunque, Syllæ, nempe, Craſſi, atque ipſius quoque Catilinæ, miſceretur. Hæc eſt illa igitur diuinæ gentis Iuliæ nobilitas ac ſplendor, de quo ipſe: *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus a Regibus, paternum cum Diis immortalibus coniunctum eſt. Nam ab Anco Marcio, ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater. A Venere Iulii, cujus familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere, & ſanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent: & ceremoniæ Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges.* Atque hoc eſt grande arcanum illud, A VENERE ORIVNDVS. vt Titius, vt Seius, bos, equus. Nam de aſino jam dixi. Quanto autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

circumſpectius prudentiuſque vulgus militare: qui cum pupum hunc Venereum, deuictis Gallis triumphantem ſequerentur, Senatum Populumque, nihil quidem de re publica, ſed quod in cujuſque rem eſſet, de priuata monuerunt. Vxores quiſque vt diligenter aſſeruarent.

Vrbani ſeruate vxores: mœchum caluum adducimus.

Quod eadem Venere prognatis perſuaderi nunquam potuit. Pleraſque enim e ſtolatis, cum in caſtris nihil eſſet amplius quod ageret, maternis ſacris ac myſteriis initiauit. inter quas Catonis etiam ſororem: in honorem Stoicæ, ni fallor, ſapientiæ. Quæ mox prætextatos ac togatos aſinos, e gente tam illuſtri peperere. Quod timerent credo, ne iratam Diuam Venerem haberent, ſi nepoti ejus, floris proprii vſuram inuiderent. Qui fiducia eadem, Populum, non vrbe tantum, ſed & Campo mox ejecit. Quo vt perueniret, jus comitiorum cum eodem callidiſſime, prorſus vt Æſopi leo prædam quam venando pariter pepererat cum aſino, partitus eſt. E quo, niſi ſtipites fuiſſent omnium quos vlla tulit ætas maximi, de ambitione vnius ac mutatione aliquid ſuboluiſſet. Quanquam admodum prudenter, quod creationem Conſulum

Sena-

Senatui ac ſibi reſeruauit. Quale & illud lepidiſſimum, quod cum vno inter arma equo, pedibus propemodum humanis, vtetetur, reliquos, atque inter cæteros præcipue collegas, aſinorum loco habuit. a Quorum princeps fuit Bibulus collega. qui cum nullum ſibi locum, quamuis Conſul, in Republica videret; quoties autoritate opprimi ſe ſenſit, quia aliud non poſſet, ferias obnunciari per lictores juſſit. Quamquam non euaſit, quin feſtiuam cavillandi lepidis hominibus materiam præberet. vt, cum aliquid teſtandi gratia ſignarent, non, vt vulgo, CAESARE ET BIBVLO, ſed IVLIO ET CAESARE Coss. id actum dicerent. Notum illud,

Non Bibulo quicquam nuper ſed Cæſare factum eſt:

Nam Bibulo fieri Conſule nil memini,

Quippe in aliis ſic feſtinauit, ut in caſtris ſuum illud, *Veni, Vidi, Vici*, canere adhuc, non Rempublicam tractare, videretur. Hinc continuati magiſtratus, & inprimis Conſulatus, hinc Prætoribus Præfecti ſubſtituti, hinc poſtremo Dictaturæ jus perpetuum. cum ſucceſſor ejus, nihil feſtinando, nihil tamen quod in rem puta-

a *Sueton. Iul. c.* 20.

ret, omittendo, ſeruitutem non inuexerit, vt ille, ſed fundarit, & quos homines inuenit, ſucceſſori ſuo aſinos tradiderit. Atque de Comitiis, de quibus cœpi, res, vt magni in Republica momenti, ita lepida eſt ac amœna. Nam cum idem ille Iulius, quod populum tentata tantum necdum penitus erepta libertate adhuc timeret, cum eo numerum partitus eſſet, ea lege, vt exceptis iis qui ad conſulatum aſpirarent, pro parte altera quos Populus, pro altera quos ipſe cuperet, admitterentur, atq; hanc Auguſtus, poſt ſublatam, quæ ad tempus obtinuerat, vim tribunatus, reuocaſſet; Tiberius, quē plane virginali fronte ac modeſtia fuiſſe ferunt, vbi ſatis principatum, quem ambitioſe recuſarat, confirmatum credidit, e campo tranſtulit ad Patres. Quod nec indignari niſi irritis querelis Populus: Patres autem ſchemate alio perculſi, jus ſuum haud inuiti neglexere. Qua occaſione vnus omnia jam eſſe. Tanta quidē libertatis internecione ac progreſſu ſeruitutis, vt hic idem tam projectam aut miratus, aut pertæſus, omnes natos eſſe ad ſeruitutem exclamaret. Plane vt Plautinus ille, qui

muliones mulos clitellarios

Habent,

a *Moſtell.*

Habent, ego, inquit, *homines habeo clitellarios.*
Magni ſunt oneris, quicquid imponas vehunt.

Vt mihi quidem cæteri ſcriptores, geſta hominum aut populorum, Tacitus cum ſuis, aſinorum ad amuſſim depinxiſſe videatur. Quam & cauſam reor, cur tantopere iſto ſemper delectatus ſim. Nam vt iſti, non clitellas tantum magno animo & onera geſtare ſolent, ſed vectores patienter ſequi; ita Pop. Rom. quem deſcripſit, in quamcunque partem a Tiberiis, Caligulis, Neronibus, ac aliis id genus monſtris, duceretur, vltro etiam ſecutus eſt. Vt jam luſus iis eſſet aut faſtidium, in quorum poteſtate erat. Nulli tamen magis quam Tiberio. Atque in multis hujus viri, vix eſt riſum equidem vt teneam. Vel cum idem ille, antiquitatis, ſi Dis placet, tenaciſſimus, interpretatione noua legum, ſingulos euertit, neque quicquam eminere in principatu patitur: vel cum ſpecies honorum texit, quas erepta libertate miſeris objiciat: vel cum denique in Senatu, quem tot miſerum ludebat modis, verbum Græcum, temere agenti aliud elapſum, ne quid præter dignitatem Pop. Rom. ac Senatus ageret, excuſat: nec excuſat ſeruitutem, quam jam totam miſeri admiſerant. Nihil magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tamen nos oblectat, quam cum impetrata tribunicia pro Druſo poteſtate, hoc eſt, poſt ademptam libertatem ejus quoque ſpe erepta, Græculorum de aſylo controuerſias dijudicandas Patribus permittit. Qui, quid aliud quam aſini togati, longas fabularum ad arbitrium Græcorum ſeries ac logos cognoſcebant? Nam Tiberium, videlicet, tangebat, quo in loco vel Diana vel Apollo eſſent geniti: Epheſine an in Delo Diis Nixiis Latona ſupplicaſſet. quæ Senatui tum accurate diſquirenda permittebat. Quaſi nihil eo tempore eſſet quod curarent, aut abunde jam proſpectum eſſet vt perpetuo ſeruirent. Ad Romanam majeſtatem ſcilicet intererat, ſcire, Leucophryne, vnde dicta eſſet, ac quod jus haberet: hæc an Perſica plus poſſet: quæ in Cypro Venus (erant enim plures) præferenda. Cum interea ab auguſtiſſimo ac ſplendidiſſimo terrarum ordine, a conſcriptis in Senatum Patribus (qui miſeri, non ſecus ac ſi pariter libertas reſtituta ſibi reſtituta populo fuiſſet, gratulari ſibi ac geſtire) hæc cum gaudio acciperentur.

a *Magnaque*, inquit ſummus autor, *ejus diei ſpecies fuit, quo Senatus majorum bene-*

a *Tacitus lib. Annal.* 3.

beneficia, ſociorum pacta, Regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta, ipſorumque numinum religiones introſpexit: libero, vt quondam, quid firmaret mutaretue.

Tam vbique pauci ſunt, qui ſuperſtitionem pro religione imperitis, cæteris regnandi inſtrumentum eſſe ſciant. Ac cum eſſent tales, ne hoc quidem penetrabant, Solos eo tempore felices eſſe, qui aut eſſent aſini, aut viderentur: maximum arcanum ſub tyrannis. Atque inprimis iſto. cujus artes nemo euadebat, niſi qui non intelligeret; aut, quod profecto proximum hoc principe, non videretur. ſub quo nemo emergebat, niſi qui ſub aſino lateret. Nam ex aliis pleriſque, quidam aut feroces aut præfracti eſſe; quidam, quod non minus capitale, palam adulari. Quæ res aliquot euertit. Inter cæteros & *a* Gallionem. qui cum modum adulationis ſub Tiberio non didiciſſet, neque cogitaret, quod & pauci hodie in aulis norunt, ſi quis imperite principi palpetur, metuendum eſſe ne recalcitrare ſciat; primo curia, deinde Italia exactus eſt. Nam quod vetus quidam clam inſtillat, Vbi leonina deficit, vulpi-

a *Tac. lib. 6.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

vulpinam aſſuendam, quanto iſte melius
prudentiuſque, ſub tyranno aſininam ad-
didiſſet? Niſi quod hic exquiſito opus eſt
ingenio. Quo prudenter ſub Tarquinio
rem geſſit Brutus. Nam, Tiberio regnan-
te, quos aut nimiæ virtutis aut improbita-
tis circumſtabat fama, cum illuſtribus ac
opulentis, majeſtatis protinus tangebat
ſica. Iis autem qui prudentiores eſſent,
cum vulpina ſub tam vafro principe haud
prodeſſet, dignitates aſinina conferebat,
(quod ne ſcriptor quidem Florentinus an-
notauit). qua tum qui armati callide ad-
uerſus delatores ac tyrannum eſſent, ſpon-
te ac ſenes diſcedebant. Inter quos *a* Ca
millus fuit; vir haud minus callidus quam
fortis. cui triumphalia tum Patres, (in-
quit magnus ſcriptor) contulerunt. E
impune quidem, quod bellorum expers ha
bebatur. Talis enim voluit haberi. Nequ
multo ſecus triumphale decus, conſula
tum item ac prouincias, a principe Sabi
nus impetrauit: nulla arte aut eximia vir
tute, *b* ſed quod par negotiis nec vltra eſ
ſet. aut, quod daret operam, vt talis vide
retur. Quod qui didicerunt, nec virtuten
jactant, nec ab ea metuuntur. Cujus gene
ris

a *Tac. lib. 2. Annal.* b *Tac. lib. 6. Annal*

is & Galba fuit: qui prudenter cum hoc
ciret, in deſidiem ſegnitiemque ſub Nero-
ne ſe conuertit. Contra *a* Corbulo, vir
rauis ac ſeuerus, ſed qui parum callide
irtutes occultaret, imperante Claudio,
qui nihil penetrabat, *vt formidoloſus, & vt*
rincipi ignauo grauis, in ſuſpicionem apud
emulos, non ſine cauſa venit. Atque hoc
a tempeſtate, ita vſitatum, vt plerique,
qui hoc nondum didiciſſent, cum miſeria
c ſordibus conflictarentur, aut ſuſpicioni
rincipum tum anima tum opibus lita-
ent. Quos commiſeratione dignos cre-
las, niſi ſeruitutem perdite amaſſent, niſi
ibertatem toties oblatam dimiſiſſent, aut
e reſpexiſſent quidem. Niſi tales aſinos
uiſſe ac tantos, certum eſſet, vt vix auſpi-
ante imperium *b* Caligula, quo majus te-
riuſque monſtrum nulla vidit ætas, tribus,
c ne totis quidem, menſibus, ad centum
exaginta victimarum millia præ gaudio
nactata ſint. ne dicam, extitiſſe quoſ-
dam, qui in morbo ejus depugnarent:
quoſdam, qui pro principis ſalute caput ti-
ulo propoſito vouerent. Qui, vt gratus
ſſet, multos paulo poſt *c honeſti ordinis,*

 defor-

---

a *Id. lib.* 11. b *Sueton. Cal. c.* 14. c *Sue-*
ton. Cal. c. 27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

deformatos prius ſtigmatum notis, ad metal-*la & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnauit.* aut poſtremo, *beſtiarum more in cauea quadrupedes coërcuit:* præte*r* reliquos, quos *ſerra medios diſſecuit.* A*t* quæ minimus ex aſinorum gente ſuffeci*s*ſet. Fœdiora enim prætermitto. ac inprimis, quod Senatus, paulo ante vis imperii cum populo ac columen, nunc *occurrere togatus venienti, nunc cœnanti*, vel *ad pedes, vel ad pluteum*, adſiſtere coactus eſt. Quid, cum, hoc ſublato, nemo digitum pro libertate mouit? quanquam Cæſarum memoriam ac templa, abolenda cenſuiſſent. Quo quid fuerat facilius aut pronum magis? cum & animandus & quærendus imperator nouus eſſet? qui, non imperandi modo, ſed viuendi quoque ſpem, concluſus in ſolario, jam pridem fatis, ſtolidiſſimus mortalium, tranſcripſerat. *a* Quem ipſum, cum profectũ Oſtiam, inſidiis ſub*latum*, ex rumore credidiſſent; tanto animi dolore, tanto libertatis jam oblatæ metu, conſternatos ferunt, *vt & militem, v*[...] *proditorem, & Senatum, quaſi parricidam accuſarent.* Et quis aſinus, quæ bellua,

ruptis,

Cum ſemel effugit, reddit ſe praua catenis!

Quid?

a *Sueton. Claud.*

[Q]uid ? cum Cæſarum exhauſta poſt Nero-
[n]em ſtirpe, in Hiſpania allectus eſt
a *Parcus, ſeuerus, ac veternoſus ſenex,*
[c]redas aliud quam aſininum hujus populi
[f]uiſſe fatum ? Nam quis vltra Deos quos
[fe]cerunt, hæc tam ludrica extendat?Ita qui-
[de]m, vt, cum alios, tum illum de quo pau-
[lo] ante agebamus, teſte matre propria,
a *portentum hominis,nec abſolutum a natu-
[ra], ſed vix inchoatum,* omnium quicunque
[n]on regnarunt modo, ſed vixerunt vſquã,
[ſ]olidiſſimum, poſtquam diu patienter ac
[c]onſtanter admodum tuliſſent, cœlo da-
[re]nt. Credo, vt in locum Iouis, veteuli illius
[a]c edentuli jam pridem, nouum hunc
[t]onantem conſecrarent. Aut vt populus,
[te]rrarum paulo ante princeps, Principem
[ſ]lluris aſinum,quo major nunquam fuit,
[n]ulla alia de cauſa, niſi quod ſub eo one-
[ra] geſtaſſet,ſacerdotibus ac aris coluiſſe di-
[ce]retur. tam a libertate auerſum, vt cui
[ta]m ſeruirent omnes, ſub tutela liberto-
[ru]m ageret: tam dementem atque incogi-
[ta]ntem, vt dum coniux corpus non vul-
[g]aret modo, ſed & vni ex adulteris ſe viuo
[n]uberet, ſecurus omnium quæ gerebantur
[a]c ignarus, b nouas literas excogitaret.

 Qui

a *Sueton. Claud. c.3.* b *Tac. lib.* 11.

Qui in Deos arte conjugis & medicamine tranſlatus, nemo dubitare poteſt, quin edictum ſuum quod in terris meditatus fuerat, quo *a flatum crepitumque ventris emittendi liberam conceſſit poteſtatem*, diuulgarit. Et quid animi fuiſſe putas Patribus Conſcriptis, cum ad pedes citharœdi, hiſtrionis ac aurigæ ſinguli jacerent? Quid, cum, nunc ducentem nunc nubentem, inter cinædorum agmina ſeruarent? Ac nonnemo forſan, etiam togatus,

Incolumi Ioue & vrbe Roma,

ſponſæ daret operam.

b Deinde illā in lecto illæ collocarunt.
Sto expectans, ſi quid mihi imperent. Venit vna. Heus tu, inquit, Drome,
Cape hoc flabellum. ventulum huic ſic facito, dum lauamus.

Ac addatur, quod ſubſequitur,

Tunc equidem iſtuc os tuum, impudens, videre nimium vellem,
Qui eſſet ſtatus, flabellulum tenere te aſinum tantum.

Nihil enim leue aut exiguum in ſeruitute eſt: quæ, extincta libertate, nunquam medium admittit. quippe quam rebellionis protinus ac majeſtatis crimina ſequuntur; inno-

a *Sueton. Claud.* b *Terent. Eunucho.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

innocentium ac aſinorum pœnæ. Quæ vt nullum jus in libertate habent, ita ſine lege, aut pro ea, inducuntur. quibus tum conſtrictæ mentes pariter ac voces tenebantur. Et reperiuntur nunc, ſi Diis placet, qui ad ſeruitutem natum eſſe noſtrum dicant, qui in vitio hoc ponant: cum hac laude nulli hominum conceſſerint Romani. Quod ne mirum quidem, cum vrbs ipſa Aſinus inuerſus eſſet. Nam quemadmodum Quirites, primo omnium a Quiri, quæ vox haſtam notat, dictos veteres exiſtimarunt, ſic Hebræis Romach haſtam notat. Quod ſi ſimpliciſſime inuertas, Chamor, ſiue, Amor, vt nonnulli, feceris. quod eadem lingua aſinum deſignat. Ita Syri Aſinam, Athana, aut Athono, ex pronunciationis ſuæ lege, vulgo exprimunt, aut dicunt. Quo vocabulo Mineruam, & ab ea vrbem omnis eruditionis principem, ſed quæ in ſeruitutem poſtea pudendam incidit, dixerunt Græci. Quæ vt forte, (quanquam Pœnis voces ſuas maxima ex parte ac Hebræis Græci debent) ſic fataliter videntur eueniſſe. Ne quis admiretur, aut Athenas Atticas, aut populum Quiritium Romanum, ad quamcunque ſeruitutem, pronum adeo ac facilem fuiſſe. Quo non dubio reſpexit, qui, poſtremos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Romanorum, Caſſium ac Brutum, dixit. Qui quid aliud quam aſinos fuiſſe cæteros ſignificauit? Nam quæ poſtea ſecuta ſunt, annales ac hiſtoriæ abunde docent. Et ne vulgus tantum ac ſcientiarum omnium ignaros huc trahamus, præiuerunt ad hanc ſcabiem poëtæ; veri libertatis veſpillones. qui hoc vnum poſt ereptam ſedulo egerunt, vt tyrannum pariter & ſeruitutem commendarent. non minori gaudio ac voluptate, quam ſi ex ergaſtulo ad pileum vocati eſſent. Et ecce, vix jam principe Auguſto, maximus eorum; qui ſic libertati funus fecit:

a *Tuque adeo, quem mox, quæ ſint habitura Deorum*
Concilia, incertum eſt; vrbiſne inuiſere Cæſar,
Terrarumque velis curam, & te maximus orbis
Autorem frugum tempeſtatumque potentem
Accipiat, cingēs materna tempora lauro:
An Deus immenſi venias maris, & tua nautæ
Numina ſola colant, tibi ſeruiat vltima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Anne

a *Georg.* I.

Anne nouum tardis ſydus te menſibus addas, (*quentes*
Qua locus Erigonen inter Chelaſque ſe-
Panditur. ipſe tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli juſta plus parte relinquit. (*tara regem,*
Quicquid eris (nam te nec ſperent Tar-
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido, (*pos,*
Quanuis Elyſios miretur Græcia cam-
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem) &c.

In quibus mentionem Tartari nonnunquam fieri miratus ſum. tum quo minus hoc appareat, Elyſium cum eo jungi, contra quam aut *a* Plato ipſe aut poëtæ ſolent. In quo Tartaro, affixus ſcopulo infelix Catilina ab eodem hoc artifice octauo operis diuini collocatur; non oppreſſor ſed tentator modo libertatis: quæ a domo Cæſaris tentata ſimul & oppreſſa fuit. vt non ſine cauſa ſcriptor *b* Florentinus. Et Catonem quis non admiretur, qui, ne hanc tyrannidem videret, animam effudit, locum in Elyſio ab eo impetraſſe? Nec vulgarem

a *Phædone.* b *Machia. Diſſertat. ad* 1. *Tit. Liu. Decad. cap.* 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quidem illum, ſed vt piis jura daret. Ita enim ibi,

Secretoſque pios: his dantem jura Catonem.

Inter quos non poteſt fieri vt Cæſares ponantur. Nam quis jura ferat iis dari, qui jus omnibus dederunt? aut quis parti Cæſarum addictus, a Catone ferat Cæſares in ordinem poſt fata cogi? Vnde & prudentiſſime hic, a piis, & Elyſiorum campis, Cæſares ſejunxit. vt diuiſum, credo, cum Catone, cui hunc ſeruabat locum, ibi quoque imperium haberent. Qua de cauſa, inter Virginem & Magnam Belluam, (qua voce Scorpius a Græcis Mathematicis in cœlo, Aſinus a nobis dicitur in terra) ſtationem Cæſari aſſignat. Quod priuſquam faciat, ex eodem loco Libram tollit. cum qua nihil habuit commune qui æqualitatem ſuſtulit. Quanquam alter ſane, ad Tartara ab eo deprimendus fuit, vt contrariorum ratio conſtaret. Id ne eueniret Cæſari, tyrannis jam recepta; ne Catoni, conſcientia virtutum ejus ac terrarum calculus cum ipſa veritate obſtabat. cujus, vt vel hic apparet, vis immenſa eſt. De eodem quoque ſic ſuauiſſimæ facundiæ ille alter; vera Romanorum Siren & facundiæ poëticæ idea:

a *Hic*

a *Hic ſua præferri quanquam vetat acta*
paternis, *(ſis,*
Libera fama tamen nulliſque obnoxia juſ-
Inuitum præfert, vnaque in parte repu-
gnat. *(Atreus,*
Sic magnis cedit titulis Agamemnonis
Ægea ſic Theſeus, ſic Pelea vincit A-
chilles: *(vtar,*
Denique vt exemplis ipſos æquantibus
Sic & Saturnus minor eſt Ioue. Iupiter
arces *(formis:*
Temperat æthereas, & mundi regna tri-
Terra ſub Auguſto eſt. pater eſt & re-
ctor vterque.

Qui felicitatem æui, & ſublatæ prouocationis bonum, tum illius quem tantopere laudauerat benignitatem, ipſe Eques nobiliſſimus, ab eo, cujus ante *b* Iulium familia ad plebem fuerat prolapſa, ad Scytharum relegatus ſolitudines, non multo poſt expertus eſt. Vno nomine beatus, quod ad ea loca miſſus eſt, in quibus reperiri aſinos *c* antiquitas negauit. Quanquam Dionæum non euaſit ſydus: quod Auguſto, licet

a *Ouid. Metam.* 15. b *Suet. Aug. c.* 1.
c *Ariſt. De Hiſt. Anim. lib.* 8. *c.* 25. &
l. 8. *c.* 28. *De Generat. Anim. lib.* 2. *c.* 8.
Strabo. alii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

licet breue ac caducum, *a* ſub Septentrionibus apparuiſſe volunt. Huic tertium adjunge, qui cum omnes naſo callide ſuſpendat, nemo tamen minus aliquid pro libertate audet. Qui ſic ad eundem:

Cum tot ſuſtineas ac tanta negocia ſolus.

Solus enim Tribunatum, miſer, ſolus Dictaturam, ac (ſi quando vellet) Conſulatum, cum Cenſura ſimul ac Pontificatu, ſuſtinebat. Quæ vt ſingula ſeorſim populum aut optimates tuebantur, vnum a Republica arcebant; ſic, cum pariter vnius eſſent omnia, hoc ipſo cæteri, & libertate & (quod miſerrimum tum erat) prouocatione, ac omni jure æqualitatis, penitiſſime exuebantur. Quod commiſeratione Reipublicæ, ſi Flacco credimus, ab eo factum eſt. Tanta certe diligentia ac fide hoc egiſſe conſtat, vt prouincias quæ bellicoſæ eſſent ſibi reſeruaret, cæteras Senatui rellinqueret. In quam rem Prætores, Proprætores, Præſides, Legatos, quibus plurimum tribueret, mittebat. Populo in ſpeciem Proconſules relinquebantur. *c* Ægyptum autem, magno principatus ac vaferrimo arcano, ne adire quidem ſe ignaro, Senatoribus

---

a *Plin. lib. 2. c. 25.* b *Horat. Epiſt. lib. 2. Epiſt. 1.* c *Vide Tac. lib. 2. Annal.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

bus permiſit. Nequis denique æquior aduerſus Pop. Romanum extitiſſe crederetur, cujus ab autoritate ſalus olim ciuium, jus ciuitatis, bella, fœdera, Senatus, Magiſtratuum, Pontificum, autoritas pendebat; eum pariter cum plebe, omni onere ac labore in ſe tranſlato,

credo, vt ſit, præ amore excluſum foras,

adCircenſes & poëtas relegarat. quod nunc illi Flaccus, de poëtis ac ſpectaculis dicturus, gratulatur. Abſoluta modis omnibus ac numeris poſt prœlium Actiacum graſſari cœpit ſeruitus: ex quo rerum omnium potiri idem cœpit. Circa quam, obambulanti forte, vt Plutarchus autor eſt, agaſo quidam occurriſſe fertur, qui rogatus, ecquis eſſet; ſibi quidē Eutycho, aſello autem quem impelleret, Niconi nomen eſſe dixit. Quo, ſi quicquam judico, Auguſtū quidem, Principem, Romanos autē aſinos poſt illud prœlium futuros, non oblique, nec illepide ſignificauit. Vt imperium ex parte aſino debuerit. Eadē ratione, ſcilicet, qua auibus debere ſe exiſtimabāt, quæ ex obſeruatione earum auſpicatum ſortirentur exitum. Vnde vel ingratitudinem tam magni principis mirari vel obliuionē cogor, qui cum Capricornū quod ſub eo natus eſſet, Crocodilum quod imperio Ægyptum adjeciſſet, ſerpentē

quod

quod in poteſtate Africam haberet, aliaque haud pauca aliis de cauſis animalia, (atque inter cætera Pagurum cum Papilione, Sphingem, Elephantos, Pegaſum atque Aquilam,) in nummis expreſſiſſet, nuſquam inter iſta aſinus, denunciator primus ac auſpicium victoriæ compareat. Huic igitur ne inter ſigna quidem ſuæ gentis militaria dediſſe locum aliquem, quis ferat? In quibus, præter volucrum reginam, ac cognatam Aſini (quo jure inter ſe jam procere vtuntur) Lupus, Minotaurus, Equus, Aper ſiue Porca, animal pudendum adhibetur: cum nullam, quare aquila ſacrata fueri adferre cauſam poſſint, præter eam, quod hac viſa Iupiter, victoriam aduerſus impios Titanas, aut Saturnum, conſecutus ſit. cum occurſus noſtri aut conſpectus, tanto principi imperium ac majeſtatem, cæteris Quiritibus collegis ejus, ſeruitutem feſtiuiſſim portenderit: neque quiſquam melius ex actiuſque Reipublicæ Romanæ, qualis fui ſub principibus, erepta libertate, ſpeciem cum ſingulis ordinibus ac tribubus, exprimere examuſſim poſſit. Neque minus & ſcriptores, qui præ cæteris victoriam ex tollunt, qua recuperandæ libertatis omni ſpes ſublata eſt. De qua hunc in modun idem ille Flaccus:

a *Nun*

a *Nunc eſt bibendum.*
Quare? Nihil enim libertati nunc eſt reliquum.

nunc pede libero
Pulſanda tellus.

Qua de cauſa? Vere enim omnes nunc ſeruimus.

nunc Saliaribus
Ornare puluinar Deorum
Tempus erat dapibus ſodales.

Et quid ita, noſter Quinte? Profligato ſcilicet Antonio ac jam ſublato. qui, hoc ipſo quod ſuperſtes eſſet, totam adhuc morabatur ſeruitutem. Nemo ſic triumphum celebrat, vt hic amiſſam libertatem. ne in Bruti caſtris fruſtra militaſſe credas. Cujus viri vtinam extarent ſcripta! Extant certe aliquot Epiſtolæ. Inter eas altera ad Atticum, ad Ciceronem altera. Quam cum lego, ſæpe lachrymas pro libertate effundo, ſæpe gemitum vi magna eluctantem continere nequeo. Multo tamen magis omnia mirari cogor, cum ineptas cæterorum adulationes lego. qui præſertim ſciam, neminem ex iis ignoraſſe, quid pro libertate ac patria audendum eſſet. Multo autem

a *Ode 37. lib. 1. vbi Actiacam celebrat victoriam.*

minus, illum, qui ingentem atque indomitum Alcæi ſpiritum, qui pro hac ſcripſit plurima aduerſus Pittacum & geſſit, non quotidie legebat tantum, ſed & laude & imitando commendauit. Etiam Virgilio Catonis laus non excidit, ſed placuit. Cuiuis enim alii quam inimico Cæſaris hoc munus, de quo ante, aſſignare poterat. Idem & de Flacco dicas. Nam quid commendatione iſta majus, quid ſublimius?

a *Et cuncta terrarum ſubacta,*
Præter atrocem animum Catonis.

Quis obnixius Domitianum operis initio extollit quam Papinius? Idem tamen, vbi ore ſuo loquitur & ſenſu, nihil præter libertatem loquitur. Cujus cauſa, non Pompeios tantum & Catones, ſed Lucanum ipſum, (quibus numeris ac verbis!) libertatis celebrat præconem. Ac tum denique Romanum ac ſe dignum canit carmen.

b *Mox cœpta generoſior juuenta,*
Albos oſsibus Italis Philippos,
Et Pharſalica bella detonabis:
Et fulmen ducis inter arma Diui,
Libertate grauem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.

Item,

a *Horat. lib. 2. Od. 1.* b *Genethliaco Luc.*

tem,

Et te nobile carmen intonantem
Pompeii comitantur & Catones.

Et,

Tu magna ſacer & ſuperbus vmbra,
Neſcis Tartaron, & procul nocentum
Audis verbera, pallidumque viſa
Matris lampade reſpicis Neronem.

Quis autem crebrius aut pluribus ex domo Cæſarum blanditur, quam acutus ſcriptor Martialis? Atqui hic eſt, cui *magnus* Cato dicitur; imo, quaſi etiam hoc parum eſſet, *conſummatus.*

a *Hanc mortem fatis magni præferre Catonis,*
Fama poteſt.

Et,

Quod magni Thraſeæ conſummatiq; Catonis
Nomina ſic celebras, talis vt eſſe velis.

Et hactenus poëtas tantum loquimur. Quid, qui omnium philoſophorum, quos Latini norunt, maximus, qui nihil præter porticum & libertatem loquitur, qui acuto ac mordaci ſale ita Claudio illuſit, vt, feſtiuius Romani hominis in terris nullum extet ſcriptum? Atqui, idem ille, ille, inquam, idem, (Stoam hic aut ſapientiam excuſa) de hoc ipſo:

a *Lib.* 1. *Ep.* 79.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

a *Dii illum Deæque omnes terris diu commodent: acta hic Diui Auguſti & annos vincat.*

Et inter alia non pauca:

Abſtine ab hoc manus tuas fortuna. nec in iſta potentiam tuam, niſi ea parte qua prodes, oſtenderis. Patere eum generi humano diu ægro & affecto mederi.

Et accuſat aliquis in aſino, quod tantis viris placuiſſe videt? quos & legimus, & terimus, & admiramur. Ac profecto, primum quod ſuccedit libertati, amor ſeruitutis eſt. Qui quo magis ſimulatur, eo longius ab illa abit, plus in adulatione proficit. Siquidem hoc ipſum eſt, ſeruire. Erant quidem qui ægerrime obliuiſci libertatis poſſent, qui cum ſummo animi dolore ac lachrymis ſublatam quererentur. Neque deerant, qui magnas ei ac victuras commodarent voces. Et, quod magis admireris, etiam poëtæ. Inter quos Lucanus totum Diuæ huic opus, quod nunc ſupereſt, cum ſpiritu ac ſanguine, impendit. non profecto aſinus ſed equus. Qui, vt *a* Achillei illi, in calamitate iſta loqui cœpit, ac, cum nemo amplius auderet, generoſum, ſiue hinnitum ſiue fremitum, poſteritati

a *Iliad.* 19.

ritati conſecrauit. Cujus generis ſunt iſta:

a *Ex populis, qui regna ferunt, ſors vltima noſtra eſt,*
Quos ſeruire pudet.

Et liberrimum ac plane acerbum illud:

b *cladis tamen hujus habemus*
Autorem, quantum terris dare numina fas eſt.
Bella pares ſuperis facient ciuilia Diuos.
Fulminibus manes, radiiſque ornabit & aſtris,
Inque Deûm templis jurabit Roma per (vmbras.

Et,

c *Non jam Pompeii nomen populare per orbem,*
Nec ſtudium belli, ſed par, quod ſemper (habemus,
Libertas & Cæſar erunt.

Et acerrima ac veræ indignationis plena illa:

d *Tu quoque, cum ſæuo dederis jam templa tyranno,*
Nondum Pompeii cineres, o Roma, pe- (tiſti.
Exul adhuc jacet vmbra ducis. ſi ſæcula prima
Victoris timuere minas; nunc excipe (ſaltem
Oſſa tui Magni, ſi nondum ſubruta fluctu

a *Luc. lib.* 8. b *Ibid.* c *Lib. eod.* d *Lib.* 8.

Inuiſa tellure ſedent. Quis buſta timebit,
Quis ſacris dignam mouiſſe verebitur vr-
nam? *(vti*
Imperet hoc nobis vtinam ſcelus, & velit
Noſtro Roma ſinu. Satis o, nimiumque,
beatus, *(ſos*
Si mihi contingat manes transferre reuul-
Auſoniam: ſi tale ducis violare ſepulchrũ.
Forſitan aut ſulco ſterili cum poſcere finem
A Superis aut Roma volet feralibus au-
ſtris, *(uenti;*
Ignibus aut nimiis, aut terræ tecta mo-
Conſilio juſſuque Deûm tranſibis in vr-
bem, *(ſta ſacerdos.*
Magne, tuam, ſummuſque feret tua bu-

Quæ cum aliquando annotaſſem, ac cum pari ſpiritu quo ſcripta ſunt ac animo, ad libertatem natus, percurriſſem; quidam, triſtis aliquantum & ſeuerus, ac tum capite demiſſo, multa in Lucano accuſare cœpit. Ac mouere primo, quædam parũ caſtigate, & ex mente autoris edita, in eo emendanda eſſe. tum, non optimum Latinitatis eſſe autorem: ac poſtremo, neminem tam perdite adulari. quod vel operis initium teſtari. Ad quæ, quanquam eo tempore aliis intentus, Narro tibi, inquam, frater, fatum eſſe noſtri temporis, an morbum, vt in maximis autoribus, vix quicquam, præter verba jam

ba jam ſpectetur: (quo, ſi lubet, emendationes iſtas refer) rerum nerui, &c, ſi quæ majoris ſunt momenti, ne tangantur quidem. Siue, quod nonnulli hic non vident: ſiue, quod hæc nihil ad ſe pertinere arbitrantur: Siue, quod poëtas, optimos atq; antiquiſſimos prudentiæ autores olim habitos, non didicerunt. De Latinitate, aliquando, & cum voles. quæ fortaſſe ab antiquis illis pluſculum deflectit. Atque ita quidem ſuo tempore Naugerios, Flaminios, Sinceros, Iouianos, Bembos, Vidas, Fracaſtorios, ac Cottas, judicaſſe ſcimus. quibus ſatis viſum, ſi Virgilianam majeſtatem, aut Catullianam illibatam illam Venerem ac puritatẽ, proxime referrent. quod & plurimos eorum, quantum tempora ferebant, feliciſſime aſſecutos. De adulatione autem & initio, ſufflaminandus ac monendus es. Lucanum eo tempore ſcripſiſſe non ignoras, quo nõ niſi præfinito aut obſcure loqui viris maximis liceret. Vnde & plerique, qui liberiores erant, figurate aut ambigue ſcribebant. ac majore quidem cum periculo, ſi vel improuide vel parum caute. cum, non aſinum, illuſtre nimis animal ac notum, & quem aures in his talibus plerunque produnt, ſed recoctam vulpem, ea res requirat. Quod ni fieret, non auribus ſed capite luendũ erat.

Vt cum *a* Cajus miſerum poëtam Atellanæ, ob ambiguum, ſed intellectum tamen jocum, medio amphitheatro, non ambigue cremauit, & *b* Hermogenem Tarſenſem, *propter quaſdam in hiſtoria figuras*, crudeliſſimus Domitianus, cruci cum librariis affixit. De hoc figurato genere non pauca Græci. A Romanis quidem certe, nunquam magis quam Neronis principatu vſurpatum conſtat. Quo & *c* octo Dubii Sermonis libros Plinius conſcripſit. Neque aliud Lucanum tum egiſſe exiſtimamus. Quod hic obiter cum bona venia clientis noſtri euincemus. cujus negotiolum interea, quod fieri interdum a patronis ſolet, nondum penitus dijudicata lite, paulum differetur. Ipſa interim nunc verba audiamus:

d *Quod ſi non aliam venturo fata Neroni*
Inuenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deis, cœlumque ſuo ſeruire Tonanti,
Non niſi ſæuorum potuit poſt bella Gigantum;
Iam nihil, o Superi, querimur. ſcelera ipſa nefaſque
Hac mercede placent.

Indigna-

a *Sueton. Cal. c. 2.* b *Id. Domit. c. 10.*
c *Vide Plin. Minorem.* d *Luc. lib. 1.*

Indignatio ambigua, nec minus vehemens, quæ ſub ironia tamen verſutiſſime celatur. cujus eſt, contrarium inferre. Ita dubie interdum, vt ex animo autoris ſit petenda veritas. *Si non aliter quam per calamitates,* inquit, *noſtras, ad Neronis tempora & hanc felicitatem peruenire licuit; non leue tot miſeriarum ac flagitiorum in hoc vno nobis precium perſolui equidem fatendum.* Et quam callide de regno! quod non tribuit Neroni, cum hoc tamen innuat, ſed Ioui. Quid quod ſub eodem ſchemate, tum ſeruitutis nomen latet, tum Gigantes Cæſares dicuntur? Deinde,

diros Pharſalia campos
Impleat, & Pœni ſaturentur ſanguine manes.
Vltima funeſta concurrant prælia Munda.
His, Cæſar, Peruſina fames Mutinæque labores
Accedant fatis: & quas premit aſpera claſſes
Leucas, & ardenti ſeruilia bella ſub Ætna.

Sequitur,

Multum Roma tamen debes ciuilibus armis,
Quod tibi res acta eſt.

Neque parum, armis ciuilibus, o Roma, debes: quibus factum, vt & ſeruias, & jam perieris.

te, cum ſtatione peracta,
Aſtra petes ſerus.

Sub notiſſima, ac tum recepta, adulatione, vox poſtrema latet. Qualis illa,

a *Serus in cœlum redeas, diuque*
Lætus interſis populo Quirini.

Et,

Serus vt ætheria Germanicus imperet aula,
Vtque diu terris, da pia tura Ioui.

Seneca in Adulatione verius quam Conſolatione ad Polybium: *Sera & nepotibus demum noſtris dies nota ſit, qua illum gens ſua cœlo aſſerat.* Contra autem infert, *ſero*, & poſt vota omnium, hinc abiturum eſſe.

prælati regia cœli
Excipiet.

Quam nunc prætuliſti, quia Deus vis haberi. Vnde & Suetonius: *deſtinauerat etiam, qui Apollinem cantu, Solem aurigando æquiparare exiſtimaretur. Imitari & Herculis facta. Præparatumque leonem ajunt, quem vel claua vel brachiorum nexibus in amphitheatri arena, ſpectante populo, nudus elideret:* Sed & *cœli* voce, vt hoc loco, cum a polo ſeparatur, tota illa cauitas cum inferis quæ terram ambit deſignari ſolet. vt

præclare

---

a *Horat. lib.* 1. *Od.* 2. b *Mart. lib.* 13. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

præclare Varro. qui cum Chao cœlum jungit, & ab hoc deducit.

gaudente polo.

Vrbaniſſime. quia enim procul illo & ab Orbe noſtro es futurus. Sicut paulo poſt Vtroque polo relegatur. in ſignificatione enim ludit.

ſeu ſceptra tenere.

Quod Romanis tam inuiſum, jam in terra vſurparat.

nihil, mutato Sole, timentem:

Quem quotidie in terris prouocas; pro Cæſare, auriga.

Igne vago luſtrare juuat.

Quali nuper Romam accendiſti. qui, ſex dies, ſeptem noctes, dicitur vagatus.

tibi numine ab omni
Cedetur.

Nullos Deos Aſſeſſores habiturus es. qui libenter omnes venienti cedent, ac crudelitati tuæ locum dabunt.

jurique tuo natura relinquet.

Quod Neroni nullum erat, qui Romanum quoque, [a] τὴν ἰσονομίαν, ſine qua Reſpublica conſiſtere non poteſt, penitus abſtulerat.

Quis Deus eſſe velis.

Pallor

---

[a] *æqualitatem.*

Pallor aliquis, videlicet, aut Febris, aut Ridiculus. qui non ita procul a Capena colebatur. aut poſtremo, neſcio quis Veiouis.

Vnde tuam videas obliquo ſidere Romam.

Oculorum hebetudinem non dubie per- ſtringit. De quibus Plinius: *Neroni ocul. fuerunt, niſi cum conniueret, ad prope ad- mota hebetes.*

Sentiet axis onus.

Propter aqualiculum ejuſdem ac abdo- men. *Onus axis*, vt *onus terræ.*

librati pondera cœli
Orbe tene in medio.

In terræ centro: in quo Pythagorici, & hodie ex Theologis nonnulli, inferos con- ſtituunt.

pars ætheris illa ſereni
Tota vacet.

Pars ætheris ſereni, eſt Galaxias: quem He roum animis antiqui deſtinabant. Hic im munis, inquit, omni gente Cæſarum, in primis autem te, futurus eſt.

nullæque obſtent a Cæſare nubes.

Ne vlla in poſterum a Cæſare calamita nos premat. Vocem *nubes* Græcis ac La- tinis, neque minus & Hebræis, pro ca- lamitate ſumi, nemo eſt qui neſcit. Se- quitur:

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Tunc genus humanum poſitis ſibi conſulat armis,
Inque vicem gens omnis amet.

Te extincto bella extinguentur: pax ac caritas redibit. Fundamentum libertatis, paritas redibit & imperii viciſſitudo. vnde amor & concordia.

Pax miſſa per orbem,
Ferrea belligeri compeſcat limina Iani.

Quod, ſuperſtite Auguſto, factum eſt, vt belli clauderentur portæ, te exſtincto fiet. Niſi quod occulte iterum Neronem tangit, qui & ipſe, a *tam reſiduo quam nullo bello*, vt Tranquillus ait, Ianum geminum facete clauſit. quod & aliquot numiſmata teſtantur.

Nec ſi te pectore vates
Accipiam, Cyrrhæa velim ſecreta moventem
Sollicitare Deum, Bacchumque avertere *(Nyſa.*

Apolline inuocato non eſt opus: quem tu, vel te judice, jam æquas. vt nec Baccho patre, optimo vicino hujus, ac non minus muſico. quem ventre ac ingluuie jam refers. Vides quam Satyrice ac plane. Vt non fruſtra credam, nunquam hæc Neroni viſa eſſe aut lecta, ſed ſublato eo primum diuul-

K gata

a *Sueton. Ner. cap.* 14.

gata eſſe. Tantum obiter de adulatione: quam Lucanus cæteris reliquit. Nam qui ſubſecuti ſunt, quid aliud quam Sardi, alius, quod vulgo dici ſolet, nequiores alio, fuerunt? Populo hic non diſſimiles. cui, cum de libertate cogitaret, ſportula, aut recta, tanquam aſinis, oſtendebatur. Quibus artibus ad Principatum primi peruenerunt. Vt non imprudenter ſtultus imperator, *a* *Rogo vos quis poteſt viuere ſine offula?* Quæ res tantum apud me effecit, vt nonnunquã cogitarim, potuiſſe fieri, vt lupa illa, optima nutricum, quæ lactaſſe ſuo ſibi lacte conditores primos fertur, aſina non lupa eſſet. Nam & aſinum fuiſſe *b* Marti ſacrum, & eidem Deo immolari ſolitum, jam pridem ſunt qui obſeruarunt. Ipſis quoque Conſualibus, inprimis accurate coli aſinum ſolere, ſatis conſtat. Quem coronis quoq; ac ſertis ibi floribus donabant. Credo, vt conſilia quæ ad exemplum hujus caperent, Dii bene fortunarent. Sed & omnium relligionum antiquiſſimã, Veſtalem habitam Romanis, nemo neſcit: quæ ex *c* Oriente haud dubio manauit. Arguit hoc Deæ nomen,

de

---

a *Suet. Claud.* b *Vide inter cæteros Ælian. & Rhodig. l. 8. c. 18.* c *Nam Eſtha,* אשתא *Chaldæis, ignis. qua voce & Targum vtitur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

de quo mire inter ſe antiqui certant, cum id indidem cum ceremoniis tranſlatũ eſſè, haud dubitari poſſit. Arguit hoc honor, qui in iis aſinorum generi perſoluebatur. Qui hię, coronati, itidem vt Conſualibus, ac panibus onuſti, quos de collo pendulos geſtabant, pedetentim ac magnifice, mortalium grauiſſimi, obambulabant. Nam vt ignem colere, ita celebrare aſinum, mos Orientis eſt. Iam, quod quidá non è triuio aſtrologi, Romanæ vrbi, eo tempore quo primum conderetur, verticalem, vt loquũtur, Helices fuiſſe caudam volunt; mihi magis veriſimile videtur, Aſinos Theſprotios tum affulſiſſe. Et hi tamen rerum domini dicuntur. Vt jam minus mirum videatur, multos reperiri hodie qui hos ſequantur: qui de libertate admodum ſecuri, iis quoque qui hanc magno animo tuentur, libentiſſime obtrectent. Vnde tot acerba ſcripta, tot conuiciorum plauſtra, quæ in Venetos quotidie ac noſtros, omnium hac tempeſtate libertatis tenaciſſimos, ſparguntur. Ex quo genere hominum, cum quidam nuper, non ineptus quidem ille, ſed cum aliquo contemptu tamen, ex me ſcire vellet, Ecquid vnquam Veneti geſſiſſent quos tam calide efferrem; Annos mille ac ducentos, apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ſe riſiſſe dixi, quod tot aſini vbique eſſent, qui aut libertatem primum vitæ bonum patienter eripi e manu ſibi paterentur, aut clitellas, poſtquam ſemel conſueuiſſent, patienter ferrent, Sed præcipue Æneadas cognatos ſuos, qui, vt ipſi, a Trojanis oriundi, ante tot jam annos libertatem pariter ac leges decoxiſſent. quas non minus diligenter ipſi quam vxores ſuas conſeruarent. Intelligere enim viros maximos ac ſcire, neutris mœchos vnquam defuturos. Tum & indignari ſemper, ſemper quiritari eos,

Quibus Cupido velle dat, poſſe abnegat.

Neque illud e Comœdia ignotum eſſe,

Non habes venalem amicam meam Phœnicium?

Deinde: *Ingere mala multa.*

Et, *Impudice, ſceleſte, buſtirape.*

Sciunt quoque Romam illam, quam ambitioſe, mundi caput, rerum principem, ac dominam, aut dictam legimus aut ipſi dicimus, ante annos mille amplius ſexcentos, cum Valeriis, cum Porciis Semproniisque legibus, nuſquam, niſi forte in T. Liuio, ſcriptore Patauino, hoc eſt ſuo, tanquam in pariete depictam libertatem habuiſſe. Illam autem, quam tantopere nunc premunt, intra muros ac in manu, bene a

pudice

pudice conſignatam circumferre. Neque riſu temperare poſſunt, cum imperii tam clari ortum ac progreſſum legunt. In quo tot autores, Græci ac Latini, plane vt aſini qui grave dorſo onus ſubierunt, tanta mole, tot conatibus elaborarunt: omnes ab Ænea auſpicati. qui cum, Trojanorum vrbe euerſa, inſtar baiuli parentem ac Penates ſuſtuliſſet, ac in mari annos plurimos jactatus eſſet, in Europa quoque ac Africa, non aliter quam ſi hiſtoriam ſcripturus eſſet, oberraſſet, tandem in Italia paſtores ex ſe duo procreauit. quorum poſteri cum multa libertatis ergo fortiter geſſiſſent, atque ibidem inter Optimates ac Tribunos tandem eluctati, prope integrum terrarum ſubegiſſent orbem; ex eodem ſanguine vnum pathicum ac pellicem virorum prodiiſſe, qui tot mares animos domaret. cujus ſucceſſores, Senatorum humeris, vt aſinorum, libere inveherent, *a* equis vero Conſulatus deſtinarent. Cum Antenor ſuus, cujus vix ſcriptores (tantum adulatio vbique poteſt) meminiſſent, ſine nugis poëtarum ac fabellis, nulli Flacco aut Maroni grauis, protinus Illyricum adiit. In quo populũ fundauit,

a *Vide ſupra.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

qui poſt tot jam ſæcula ac bella, poſt, non modo Veneris, vnde illi prima gentis ſeries, ſed Iouis quoque patriam ſubactam, idem adhuc eſſet; legibus aduerſus ambitum, æqualitate aduerſus factiones, vrbis ſitu ac ingenio aduerſus hoſtem, atque his omnibus, pro libertate ſic munitus, vt nec interire Dei ope nec mutari poſſit: murus Chriſtiani orbis pariter ac cæterorum terror. Summus idem fœderum ac pietatis cultor; ſine quo imperia non conſtant. cujus præſides relligioſe ſemper obſeruauit. non vt aſini, qui ſacra & myſteriorum inſtrumenta cum geſtare nequeunt, in publico cum iis cadunt: ſed cum moderamine inculpatæ libertatis; vt & hanc & illam vindicet ac tueatur. Hoc ipſum quoque Antenoris exemplo. qui cum Deos nullos bajulaſſet, quod jumenta poſſunt, probitate & odio flagitiorum, coluiſſe exiſtimatur. Quare & autorem Helenæ reddendæ ſolum cum Ænea extitiſſe ferunt. cum plerique, vt Phryges, ſero ac poſt patriæ calamitatem ſaperent. Eoſdemque, Cæſarum exemplo monitos atque erudiros, majeſtatem ei commiſiſſe, qui æqualis poteſtate ac virtute eſſet optimis: quorum & in manu eſſet. De quo ne in mentem quidem Populo Romano venit. Atq; hinc

illæ

illæ lachrymæ. Nihil tamen magis ſibi lepidum videri, quam, cum præfidentes quidam & maleuoli de iſtis judicant. Quales ſunt, qui popularia nonnulla quæ ad Optimatum formam minus facere arbitrantur, in hoc ſtatu reprehendunt. Quos ſic judicare, vt aſinum de muſica. In qua, cum cõcentus ratio ſpectanda ſit, nihil præter ſingulas attẽdit voces, & in iis claras maxime miratur & elatas. Quomodo & Midam judicaſſe ferunt, & qui vpupam luſciniæ prę-ponunt. Nam vt nulla reperitur muſica, quæ voce conſtat vna; ita nulla eſt Reſpub. quæ non ſit mixta. Eã autẽ optime eſt conſtituta, quæ quam maxime è contrariis eſt temperata. Vnde & fit, vt ſola Veneta, poſt tot jam annos adhuc canat, & eadem muſica vtatur. cum antiquæ omnes, ſub iniqua ſeruitute ejulent ac gemant. Quod Lyſander, magnus Spartanorum imperator, non diſſimulauit. qui cum muros Populi Athenienſis, maxima cum voluptate ſolo poſt victoriam æquaret, tibias inflari juſſit: vt qui muſicam non recte in ciuitate ſua temperaſſent, alienam maximo cum animi dolore, & ex merito, audirent. Quanquam habent quod cum illis aſini expoſtulent: de quibus parum bene meriti videntur. Primi enim omne literarũ genus, præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ter Græcas ac Latinas, etiam Hebræas, etiamRabbinicas, Italiæ ac orbi intulerunt. Primi animas antiquitati pares produxerunt ac magnifice educarunt. Primi prope ac ſoli, cum illuſtri Medicæa domo, Mæcenates Auguſtæo æmulos, fataliter ac infinitos ediderunt: Contarenos, Bembos, Maurocenos, neque paucos non minores alios. Inter primos vero Aloïſium Molinum, Patauinæ libertatis aſſertorem: cujus viri ſanguis in Dominico Molino adhuc ſpirat; vt Muſarum, ita libertatis Genio ac Tutelari. Qui illuſtre nomen ſuum ac humanitatem incredibilem trans Alpes pridem miſit; ne tam magnus animus Italia contineretur. quem æternum fore in terris beneficio Muſarum, eruditi augurantur. Et in eo omnes allaborant. Eos autem Batavi ſequuntur. Quibus aures ſuas qui objiciunt cum vate Hiſpano, mentem ſuam a cliente noſtro mutuati ſunt. cum judicio & eruditionis laude inter primos cenſeantur. Academia ſit teſtis, in qua tot præſtantes viri, qui ſcientiis vel ſingulis vel omnibus, ætatis ſuæ dignitatem ſemper vindicarunt, tempeſtate noſtra extiterunt. Manu autem & pro libertate quantum poſſint, nemo melius quam populares hujus norunt. Vnde tot conuiciorum tempe-

ſtates,

ſtates, tot calumniæ in populum vtrunque libertatis pertinacem, aut vulgantur, aut cum magna voluptate ab æmulis leguntur. nulla alia de cauſa, niſi quia ſoli aſini laudantur. Soli enim neq; bellum timent, nec de pace quicquam ſuſpicantur: quoduis autem jugum magno tollunt animo ac ferunt. Habet ergo aſinus, ſi ſeruit, magnos hujus rei vel autores vel exempla; cum Iudæis Græcos & Romanos. Ac ne alios in poſterum prudentes ac cordatos, facti ſui æmulos laudare poſſit, Deus immortalis ac innatum generoſo cuiq; libertatis ſtudium curabit. Mihi viſum ſemper fuit, ne in iſta quidem parte accuſari poſſè noſtrum, niſi flos terrarum traducatur. cui nihil hic concedit. Omnis quidem certe ſeruitus obſequio cenſetur: cujus gloriam cum primis vniuerſi orbis gentibus communem noſter habet. Ac fortaſſè nobis quoque metuendum, ne dum aliena agitamus, ſua pariter ac noſtra alienus quidam agat. qui quo major eſt potentiorque, eo magis metuendum, ne potentiorem in ſe pariter ac nos conuertat. Cujus viribus ac poteſtate Græculi, qui olim legem omnibus dixerunt, *a* ὑποζύγια hoc tempore dicun-

a *Ita aſinos 70. Interpretes dicunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

dicuntur. Ac, ſi quando huc commigrant
nihil præter ſtipem petunt. tam exiguo
contēti agunt qui in aliena poteſtate ſunt
Et de ſeruitute hæc quidem. Cui vitium vi
cinum adde, & quod cauſam hujus trahit
Tarditatem dico. Quæ, ſeu virtus eſt, vt
quidam volunt, ſiue opprobrium; non pau
cis ſemper placuit. Eandem enim & in Ni
cia accuſant Græci, & in Fabio Romani
celebrant. Prima quidem ars regnandi in
Tiberio hac ſtetit. Qui cum recens adhuc
imperandi, annos multos, quanquam
nihil minus cogitaret, abitum ex vrbe
ſimularet, non illepide Callippides a plebe
dictus eſt. Cum non cogitarent, hoc
egiſſe, vt judicia Senatus, animos ac vo
luntates de ſe exploraret: qui præſen
tem qui abſentem mallent, indagaret
quibus artibus portentum hoc vulpecu
læ ſcatebat. Cui ſi improbitatem, &
quam nimiam fuiſſe in eo ſapientes ju
dicant, calliditatem damus, jure dubites
an par regnandi arte quiſquam fuerit. De
calliditate mirum equidem videri iis ſcio
qui in vmbra aut, ad eam, nati ſunt. Affir
mare tamen poſſum, eam in hoc principe
effeciſſe, vt ad reprehenſionem tardus ac
cunctator eſſet. Ea certe effecit, vt in rebus
omnibus ſubſiſteret aut fluctuaret. & au

tarde

tarde ageret quod ſemel approbaſſet, aut quod jam egiſſet, nunquam poſtea mutaret, quamuis ſæpe ne tum quidem approbaret. Quædam autem contra ſubito mutaret, poſtquam ſemel approbaſſet. Vt ridiculus hoc ipſo jam in vulgus eſſet. Quo ſc factum volunt, vt pleriſque præfecturas c provincias continuaret; etiam indignis: uoſdam, quibus jam contulerat, ne vrbe uidem egredi ſit paſſus. Nam vt callido ngenio, ita anxio judicio fuiſſe, magnus utor notat. Quæ ludibria in aſino ne acuſata quidem memini. Siue autem ipſe nihi, ſiue illi quem commendo, blandior, t multi ſolent, atque applaudo, multos ne nouiſſe reor, quibus vnum hoc ad res n tempore gerendas obſtitiſſe obſeruaui, uod vt mente callidi ac perſpicaces eſſent, c judicio plerumque hæſitarent. Nemo nim magis hæret, quã qui plurima intelligit ac videt, aut, quæ nemo, ſuſpicatur. In uibus, ſi quid intelligimus, non ex ſtupore ngenii, ſed ex judicii moroſitate, tarditas æc naſcitur. Et quid tardius Athenienſius ac omni plebe? quorum tamen forma, diutiſſime conſiſtit & tardiſſime nonunquam immutatur. Neque poteſt fieri, uin vbi omnium conſenſu opus eſt, in uibus multi ſunt, qui ſua aut ſuorum cogitant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

gitant, celeritati non ſit locus Quod Spartani pulchrè intellexerunt. Qui, dum optimi Athenienſes de fœderibus moroſe conſultarent, dum rumuſculos vel ſpargerent vel rimarentur, dum legationes neceſſarias differrent, dum legati, plebis more, ſumptu publico in via libentiſſime hærerent, & ex die diem in itinere ipſo traherent ac genio litarent, ciuitatem interim, Lyſandro duce, expugnarunt. Ac feſtiuum eſt quod *a* Ariſtophanes commemorat: legatos ad Perſarum Regem, quarto demum anno illuc perueniſſe. Quem accedere cum vellent, nunciatum eſſe, cum armata manu in latrinas Regem abiiſſe. In quibus octo menſibus cum opus eſſet, vt & commode hoc ageret, & auſpicato muſculum poſteriorem clauderet, quod ante nouilunium, cum maxima res eſſet, fieri non poſſet; domum & ad ſuos, Rege vix conſpecto, rediiſſe. Et miramur hos Lycurgi ciuibus ludibrio fuiſſe? Quanquam nulla gens aut extat hodie aut olim fuit, quæ non aliis ſtuporem, aut, quod idem eſſe volunt, aſininum aliquid, in vita aut ingenio objiceret. Notum quid hoc tempore de Belgis Galli, de his Belgæ, inter Belgas alii de aliis, quod

a *Acharnenſ.*

quod ſæpe riſi, de Hiſpanis cæteri, de omnibus Hiſpani, gens quæ pro ſucceſſu animos nunc gerit, judicare ſoleant. Inter omnes quæ ad noſtrum proxime accedat, neque dictu eſt procliue, & antiquam libertatem, cujus nunc vix vſurpamus nomen, temporum noſtrorum ſecta non admittit. Illud conſtat, in Theſſalia Antronios, in Achaïa Arcadicos, Reatinos in Italia, Celtiberos in Hiſpania jam olim commendari. Qua occaſione, vix eſt vt non lepidam contentioné hic apponam. Nam cum ante hos paucos annos vrbes aliquot hoſtiles, quod induciæ tum dabant, animi ac voluptatis partim, partim amicorum cauſa, quorum ſingularem ſæpe fidem ſum expertus ac candorem, curis omnibus ſolutus, perluſtrarem: forte euenit, vt ignoto cuidam noſtras, rudis quidem ille atque abnormis, ac fortaſſe vino aliquantum irrigatus, pluſculum moleſtus eſſet. cum vterque ſacræ (ita loquebantur) Pontificiæ autoritatis æque aſſertor; alter, homo vafer ac polite eruditus, Hiſpanorum rebus ſatis æquus haberetur. Quanquam eſſent, qui exiſtimarent, hominem verſute callidum, ſuſpenſa & ambigua libenter loqui. vt nonnulli hac ætate ſolent, qui, amiſſa libertate, ſeruitutem ferunt potius

quam amant, & ex commodo ſucceſſu dominantis, magnitudinem calamitatis ſuæ in futurum augurantur. Huic rixæ, homo, fugitans, ſi quiſquam, litium, vt intercederem; ex arte, dedi operam, vt, more veterum, ad vinum quiſque gentem cui maxime faueret, ordine extolleret ac commendaret. Mihi, quod gratiſſimum euênit, laus Belgarum ceſſit. Quorum Martiales animos, integritatem ac ingenia, ſic extuli, vt eſſent qui nonnihil datum patriæ exiſtimarent. quanquam & modeſte omnia, & ſine vlla, vel leuiſſima, quod curæ nobis ſemper fuit, ordinis aut populi vllius reprehenſione. niſi quod, cum ad hæc tempora, ad miſerandam patrię calamitatem, cædes, ſpoliationes, vaſtitates, ac præcipue diſtractionem animorum, ventum eſſet, oculis ſuffuſæ reluctanti ac invito lachrymæ, non nihil vocem ſuppreſſerunt. Quas cum magno animo ſubinde imbibiſſem, ſanguis maxima vi naribus erumpens ſubſecutus eſt. Quod nonnemo advertiſſe videbatur. Atq; haud multo poſt, cum in triclinium, in quo conſederamus, tanquam ad condictum, forte, ac prorſus præter expectationem, aſinus veniſſet; orto de peculii apud Belgas raritate ac virtutibus ſermone; ibi noſter ille, qui mos peſſimus

in

in Belgio nunc tenet, vt de Regibus ac Rebuſpublicis,non minus quam de ſacris,quilibet pronuntiet,

„ Et olim aſinorum, *inquit*, laude celebrẽ Hiſpaniam fuiſſe audio, & hac tempeſtate nuſquam alibi majores reperiri reor. qui — *vna cum gente tot annos* „ bellum gerunt. cuius libertati poſt tot „ prœlia ac clades turpiter ſubſcribunt. Et „ nuperrime præclaram,ſi Diis,inquit,placet,pacẽ aut inducias in alienas confecerunt leges. *Ac cum animi & vinum acceſſiſſent,vltra ſatis acriter prouectus,* Duos olim ſe in terris veneratũ eſſe, neq; quenquam diligentius PontificemRomanum „ cumHiſpano coluiſſe. De priori,nondum „ pœnitere,ſed nec cauſæ quicquã eſſe, cur „ aut pœnitere debeat aut poſſit. Alterum „ cum Batavis odiſſe. *Neq; hic ſubſiſtens,aut de cauſa animi mutati quicquam pro ſe adferens, vt mos eorum eſt qui Baccho pluſculum* „ *litarunt*, TimidumHiſpanum ac imbellẽ, „ ſed præcipue regnandi imperitum, perfidum, crudelem,juris deniq; omnium raptorem,ſui deſertorem,*maximis lateribus ac voce, nec intemperanter minus, intonabat*. Et Flandrorum vicem ſe dolere,vt & „ cæterorum,qui ſub jugo atq; iniqua ſervitute luctarentur. Semper enim agere

,, animam nec vnquam mori. miſeros per-
,, petuo futuros, niſi quem nunc habent
,, dominum, haberent hoſtem. id ſi fieret,
,, ſi Batauorum ſaperent exemplo, cæte-
,, ros, vt ſunt Belgarum animi, amicos &
,, invictos fore. *Quæ res facile a me impetrauit, vt ſecederem nonnihil. Ita enim fore existimabam, vt, ſi forte ad ferrum, quo a vino facile tranſitur, res veniſſet, poſt principia ex diſciplinæ militaris vſu interim laterem: neque minus ſingula quæ dicerentur, clam ad limen aucuparer. Quod conſilium tum præferendum duxi: ante tamen vehementer obteſtatus,* Vt vterque animos in
,, vino poneret ac rixas. Hactenus non
,, peſſime inducias ceſſiſſe. Eum eſſe Belgi-
,, cum candorem ac ſimplicitatem, vt, qui
,, ferro diu graſſati eſſent, nunc benigni-
,, tate ac officiis certarent. Ac vidiſſe me
,, pleriſque, cum amicos in Brabantia au
,, Flandria aduenientes conſpexiſſent, la-
,, crumas vbertim excidiſſe. Gratum Deo
,, hoc certamen eſſe. Eo ſanguinem elue-
,, rent, qui tot jam annos ſine more à ci-
,, uibus effuſus eſſet. Vnum eſſe optandum,
,, vt tranquilla pace ac firma, non doloſa
,, non ſuſpicioſa, res componeretur. quam
,, civili bello, poſt tot publicas calamitates
,, præferendam qui non judicaret, barba-
run

,, rum ac plane immanem eſſe. Petere in-
,, terim, ne innocentiam hilaritatis, ne,
,, quod vnum Deus vinculum dediſſet ani-
,, morum, in ſeditionem ac furorem verte-
,, rent. Supereſſe, & quidem multos, qui-
,, bus curæ iſta forent. Vnam in Republica
,, priuatis gloriam relinqui, vt modeſte
,, ſentiant de imperantibus ac judicent.
,, Ejus meminiſſent. Atq; inprimis darent
,, operam, vt Regibus ac Magiſtratu, etiam
,, inuiſo, etiam hoſtili, parcerent. qui poſt
,, illa, vni Deo, non priuatis, pro lubidine
,, ac opinione ſua cuique, rationem red-
,, dituri eſſent. Poſt hanc hiſtrioniam,
,, quam multi hodie in terris agunt, poſt
,, hanc laruam, ſub qua multi latent, Dei
,, Optimi ac Maximi tribunal ſupereſſe, cui
,, hæc cognitio ſeruetur. Eos autem maxi-
,, me prudentes eſſe, qui cum maxime hæc
,, intelligant, hoc ipſum maxime diſſimu-
,, lant, atque interea in vſus ſuos quic-
,, quid ſit conuertunt. Libertatem, & judi-
,, cia profeſſa, plus in talibus nocere quam
,, damnatam populo ſimplicitatem, qui li-
,, bentius quam verius de publicis pronun-
,, tiat. Vnde factiones, quas ſeditiones & ci-
,, uile bellum conſequuntur. quæ a Princi-
,, pum & Magiſtratuum contemptu orta,
,, latius, & extra legum moderamina graſ-

 ſari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, ſari. Longe vero amplius in aliena & ho-
,, ſtili terra metuendum eſſe, vbi omnia ſu-
,, ſpecta eſſent quę ab aduerſariis aut fierẽt
,, aut dicerentur. Illud quoq; cogitarent, di-
,, verſarum gentium diuerſas laudes eſſe.
,, Inter potentiſſimas Hiſpanã ſemper eſſe
,, habitam. eandemq; tot ingeniorum, tot
,, eruditorum matrem extitiſſe. Aduerſus
,, quam, ſi quicquam ægre cuiquam eſſet,
,, armis diu hactenus certatũ eſſe. Miſerum
,, vindictæ genus, contumelias ac maledi-
,, cta, fœminarum generi relinquerent. Me
,, quod attineret, ſemper operam dediſſe,
,, ne aduerſus patriam odiſſem quenquam
,, aut amarem: neque minus ſedulo cauiſſe,
,, ne vel ſcripto vel ſermone gentem vllam
,, temere irritarem; multo minus Principẽ
,, aut Regem. Cujus moderationis memo-
,, rem futurum quam diu ſupereſſem: ſalua
,, patria atq; ejus libertate, cui, bonos om-
,, nes ſacramento eſſe obſtrictos. Cauſam
,, Deo, & virtuti ſingulorum, vbi iterum
,, ad arma ventum eſſet, committendam.
,, In quo, poſtulare me, vt acquieſcerent.
Sic ad fores aliquantulum seceſsi. Quibus more, vt ait ille, nepæ, ac receſsim, cum egreſſus clam ad limen ſubſtitiſſem; ibi alter ille nihil ſane minus quam commotus, vt prudentes ſolent, libertatem prius ac ſilentium, v-

in arcanis, quanquam apud ſuos eſſet, ſtipulatus, ac nonnunquam circumſpectans, tum teſtatus, apud eum, qui ſacrorum eorundem eſſet particeps, ſe loqui, ita cœpit.

„ a Aſinos vbiq; naſci, vetus dictum eſt. „ Vnam hic Hiſpaniam excipio. Et profe- „ cto, ſiue robur animi, ſiue illam quam „ ciuilem dicimus prudentiam, intueor, ex- „ cipiendam judico. Hæc eſt illa Romano- „ rum armis prope invicta ac indomita. „ quæ prouinciarum prope ſola, vires ſuas, „ victa demum, intellexit. In qua per du- „ centos fere annos vario ſucceſſu dimica- „ tum eſt. Hæc eſt illa, quæ tres Senecas „ Romanis, quæ ætate noſtra, tot æternas „ animas, Philoſophos, Theologos, conſul- „ tos legum & ſcientiarum dedit, ac ad po- „ ſteros transmiſit. Quæ tot terras vel de- „ texit vel inuenit, & ad artes prope infini- „ tas, nauigationem quoque adjunxit. *Hæc duriſſimos,* b ut ille ait, *milites, hæc expertiſſimos duces, hæc facundiſſimos oratores, hæc clariſſimos peperit vates. Hæc judicum mater, hæc principum eſt. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Adrianum miſit*

a *Hiſpanienſis cuiuſdam, pro Hiſpanis, ac de publico Europæ ſtatu, judicium.* b *Latin. Pacat. Panegyr. Theodoſ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, *imperio*. Hæc & Theodoſium, & hac æ-
,, tate Ferdinandum, (ac, quem non po-
,, ſtremo? ne aut nouos texam panegyri-
,, cos, aut veteres retexam) tulit. Ac vel iſta
,, tempora, ſi lubet, vide. Nihil enim nunc
,, de Indiarum prœliis, aut iis quæ in Bel-
,, gio non infeliciter jam olim geſta ſunt,
,, ne longius diffundar, hic commemoro.
,, Nec defendere animus eſt gentem, quam
,, armorum uſus, & præcipue prudentia,
,, non extra reprehenſionem modo, ſed &
,, ſupra laudem ponit; grauem, ſobriam,
,, relligioſam. tantum, quæ liberius in vi-
,, no dicam, huic; & amori gentis, tum ne-
,, ceſſitati, qua hæc prouocatus nunc repo-
,, no, condonari volo. *Et cum aliquamdiu hic conticuiſſet, ac identidem circumſpexiſſet, vt qui Eleuſinia aut Bonæ Deæ ſacra inter caſtos ac initiatos celebrare ſolent,*
,, Principes plerique, inquit, hodie ac Re-
,, ges, ſuis quique finibus contenti, aliena
,, vel ignorant vel contemnunt: niſi quos
,, communis metus, & ex eo nata fœdera,
,, conjungunt. Solus noſter, non Euro-
,, pam modo, ſed & arma ejus ac inducias
,, ubique moderatur. Solus fœderatis ac
,, adverſis, vtrum lubet, callidiſſime præ-
,, ſcribit. nec bellandi tantum, ſed ceſſandi
,, cauſas, vbi viſum eſt, imponit. Et, quod
magis

,, magis admiremur, ſine ſuo aut ſuorum
,, ſumptu, omnes inter ſe committit. Vt
,, immunis belli, feſſos eo ac defatigatos,
,, ſub vnius vires trahat. Quo nunc omnia
,, me hercules inclinant. Satis conſtat Re-
,, ges Principeſque Rerumpublicarum vi-
,, ribus ſubnixos, multum poſſe, & has
,, iſtis. Quod certiſſimum aduerſus vnam
,, dominationem munimentum eſt. Hos
,, ſuſpicionibus, quæ inter tales, vel pro-
,, pterea quod tales ſunt, facillime accen-
,, duntur, dirimit. Conſtat ſibi bene velle
,, Reges. hos, ne ſibi quiſque ſtudeat aut
,, vni noceat, non vna domi factione, tan-
,, quam pullos, cauea includit. Denique,
,, vt Philippus ille Græcus, inter concor-
,, dantes odia, inter cæteros ſeditionis fo-
,, mites accendit. tum, quod illi quoque
,, fuit proprium, bellorum cauſas ſibi ſer-
,, uat. vt in aliena ſic immiſſus, more eo-
,, rum qui negociantur, belli ſumptus bello
,, alio reficiat: & terrarum orbi, in quo
,, alia aut ſua quiſque agit, ſeruitutem ſine
,, impenſis ſuis ac periculo inducat. Ipſe
,, interim ſecurus, tanquam è ſublimi arce,
,, autoratos ſuos maxima cum voluptate
,, luſtrat. (ſint.

Nec, ſi forte roges, poſſum tibi dicere, quot
Pauperis eſt numerare pecus.

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, aut cum cura, quis vbique ſit venalis, cal-
,, lide inquirit. quos, vt mercem quæ clam
,, proſtat, emit, ac aduerſus ſuos quemque
,, poſſidet. Quorum arte, præter Cory-
,, cæos proprios quos habet, vafros, calli-
,, dos, verſatiles, (hæ ſunt aures illæ quas
,, antiqui a Midæ hac de cauſa aſſignatas
,, notant, quę eximia ac prima dominandi
,, ars eſt) vbicunque lubuit in vſus ſuos
,, præſens, conſultationes quaſque ac de-
,, liberationes, vixdum natas, tanquam è
,, parentis ſinu, excipit ac pro ſe tollit.
,, quomodo, dum armis alii ac ſanguine
,, inter ſe contendunt, alibi ſub aris, alibi
,, ſub auro, alibi ſub ſtola, clam irrepit,
,, aut cunctando ac imagine contractuum
,, paratos bello, in occaſiones ſuas differt.
,, vt non agere hoc ſed jam egiſſe ſentiant,
,, qui reliquis plus vident. Si quid ſupereſt,
,, legatos audit: quos plerunque, vt olim
,, Delphicus Apollo, æque a ſe incertos
,, cum oraculis dimittit. Quorum inuo-
,, lucra & ambages dum excutiuntur, dum
,, conſultant Patres aut in partes eunt
,, dum nonnunquam tempus quoque ex-
,, trahitur ab iis quos addictos ſibi habet
,, (qui, ſi quid periculi impendet, mi-
nuun

a *Vide Suid. & alios.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ nuunt ex arte atque attenuant) mo-
„ mentum, quod in rebus ſæpe magnis
„ breue eſt, elabitur. Illud ſcio, cum v-
„ nius cauſa omnia gerantur, omnes qui
„ id necdum credunt, quanquam huic in-
„ feſtiſſimos, pro eo eſſe quem oderunt.
„ ſemper enim mora eſt pro eo qui plus
„ poteſt Vt & illos qui leuiſſimis de cauſis
„ inter ſe diſſentiunt aut controuerſiun-
„ culas ac ſimultates fouent. ſatis enim
„ eſt ſi ſeparentur. Neque refert, quid de
„ nobis ſentiant, dum & diffidant ſibi. ne-
„ mo enim timet multos, quos ſuſpicio,
„ aut imprudentia, aut artes ſuę, effecerunt
„ ſingulos. Sic cum Curiatiis congreſſus
„ eſt Horatius: cum Græcis idem ille Rex
„ Philippus. Cujus artificium aduerſus ſin-
„ gulos, non filii, vt ignari harum rerum
„ putant, generoſus vigor, orbem in vnius
„ poteſtatem dedit. In Hiſpania non ita
„ pridem aliquid tentaſſe Batauorum na-
„ ues ſcimus: vt abeſſet parum quin jam
„ ipſam penetrarent. Quod arcanum
„ grande, tum imprimis, quia nerui dee-
„ rant bellandi, Deos pariter & homines
„ tangebat, neque tam Hiſpania quam
„ ſtatus orbis tentabatur. Etiam fuiſſe ſci-
„ mus, qui de India ad Occidentem inva-
„ denda muſſitarent. Quod conſilium diſ-

ſenſio

,, ſenſio aut differt, aut extenuat, nec pro-
,, uide expendit. Iis ergo, quia recte ociari
,, neque pueri neque his ſimillima plebs
,, nouit, feriæ, induciarum ſpecie, objectæ
,, ſunt: quas in rixas ac diſcordias ciuiles
,, protinus vertêre. Atque hoc tempore,
,, de fato ac arcanis Dei, de prædeſtinatio-
,, ne, & arbitrandi libertate, aliiſque id
,, genus, quæ autoritate & ſcholarum a-
,, pud nos pomœriis prudenter terminan-
,, tur, inter viros patriæ amantes diſputari
,, audio. Vt jam cuncta, officinæ quoque
,, & fora, argumentis ſtrepant: quiſque
,, hoc agat, vt diuerſa ſentienteis capiat,
,, aut pedicis involuat. Quiſque in re tam
,, graui publicat quod ſentit & tuetur. Vr-
,, bes inter ſe diſtractæ, militem conſcri-
,, bunt. Neque deſunt ſacris legibus arma-
,, ti, qui edictis magiſtratuum ac placiti
,, clamore tribunicio & populi fauore in-
,, tercedunt. Si quid recte ſtatuatur, Ro-
,, manorum more autoritas perſcribitur.
,, Et utrinque hi tolerantur. Si qui medi-
,, ſequuntur, nec autoritate valent & de-
,, terrimum id eſſe inter ancipitia expe-
,, riuntur. Quod initium majora jam
,, promittit. Nam vt ſcabies affrictu, ita
,, ardor talis diſputando gliſcit. Et plerun-
,, que fit hoc æuo, vt qui maxime de pro-
bitate

„ bitate ſunt ſecuri, de relligionis ſenſu
„ maxime inter ſeſe velitentur: de Sacris
„ autem libris ac eorum mente nunquam
„ idem ſentiant aut credant. quam, in-
„ terpretando, ſibi quiſque & opinioni ſuæ
„ aptat ac mordicitus tuetur. Alii enim
„ factionibus abrepti, aliorum cauſa &
„ exemplo, credunt quod ſequuntur: alii
„ ſequuntur, quod jam credunt. Vbi au-
„ tem pertinacia acceſſit, non quid tuea-
„ tur, ſed ne cauſa cadat, quiſque pro ſe
„ cauet. In quibus, &, ſi etiam minora ſint
„ quam iſta, diſſentire ſatis eſt. Cum non
„ raro nodi tales ſimul atque ad plebem
„ peruenerunt, gladio ab hoſte diſſoluan-
„ tur. qui licentia induciarum jam admiſ-
„ ſus, fouet ea clanculum ac moderatur,
„ & nutantes aut diſſentientes, veniæ ſpe
„ ac promiſſis tentat. Quæ diſtractis ani-
„ mis aut vlceratis facile procedunt. vt
„ diſcordiis internis jam relinqui poſſe vi-
„ deantur. Quod venenum, ex relligione
„ ortum, ab ambitione ad prætextum ejus
„ temperatum, vt per omnes diffundatur
„ partes, aliqua quiete opus eſſe, qui pru-
„ dentiores ſunt, exiſtimant. Ne qui in-
„ ter ſe contendunt, ad concordiam ab
„ hoſte, metu ejus, compellantur. Donec
„ odiis ſuorum fatigati, ſua intereſſe cre-

M dant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, dant, vt imperium alterius admittant;
,, aut, diſtractis viribus, cogantur. Adde
,, quod familiaritas eorum ac benignitas
,, accedet, qui parere didicerunt: qua vici-
,, na gens haud parum valet. quæ feroces
,, ac auerſos dominatione animos paula-
,, tim mitigabit. quod humanitatem vo-
,, cant, qui illecebram ad ſeruitutem eſſe
,, ignorant. Quid ſi autem hoc, vtilius &
,, eſt, & eſſe ſibi credit noſter, quam vt ali-
,, quid in regno ſuo argutentur, quam vt
,, Indiam vtramque cum vicinis Regibus
,, Principibuſque expugnent, aut per ſe
,, inuadant, quam vt bellum illuc ſubito
,, tranſmittant, aut onuſtas auro ac ar-
,, gento naves duplici diſpendio in littus
,, ſuum parum comiter auertant. Quan-
,, quam neque Hiſpanos alibi excuſo. quo-
,, rum aliqui has terras, accurate a ſe deſcri-
,, ptas, publicarunt. quaſi manu, tanquam
,, in beatas inſulas, ducendus eo eſſet: aut
,, non ſatis per ſe ſaperent, qui ſponte ſua
,, huc feruntur. Ita gloria priuata ſæpe pu-
,, blico interuenit. Et ſic ſolent aliquando
,, literati: aliud quam expedit ignari agunt.
,, a Similes aſello, qui cum neſcio qua cu-
rioſitate

---

a *Vide Luciani Lucium, ſive Aſinum. Vide Suid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ rioſitate proſpectaret, dominos laten-
„ tes judici in manum dedit. aut, quod
„ referunt de quodam non diſſimili huic
„ ipſi, qui cum, curioſus itidem, in offici-
„ nam figuli cujuſdam caput demiſiſſet,
„ vaſa ejus omnia confregit. quod luen-
„ dum domino tum fuit. Nam quod
„ libertatis etiam confeſſionem hoſtibus
„ expreſſam iſte quidem, probri loco ja-
„ cit; Pulchrum, hercules, trophæum.
„ Quaſi magno ſtet Principibus hoc no-
„ men: aut non æque tali ſpecie vtantur,
„ qui imperium affectant & qui dedignan-
„ tur. Quare lætum atque amœnum li-
„ bertatis nomen quiſque æſtimet atque
„ amplexetur, quantum volet. Etiam,

Putam & putillam appellet: fortique marito

„ vxorculam hanc deſtinet plebecula, vt
„ lubet. Parum enim refert. Haud pro-
„ fecto magis, quam quod auro ac mune-
„ ribus, de quo nonnulli jam queruntur,
„ animos ac voluntates noſter aucupatur.
„ Quæ, ſi ſapis, mea tu Glycerium, hic
„ miſſa face: &, vt cum Varrone dicam,
„ caperatam iſtam frontem nunc depone.
„ Niſi vniuerſam Indiam ſic exhauriri cre-
„ dis, aut ne auro vnquam egeat Rex, no-
„ ſter, times. Et quid ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

hic noſter quæſtus aucupij ſimillimu'ſt.
Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum.
Aues aſſueſcunt. neceſſe eſt facere ſumptum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt. ſemel ſi captæ ſunt, rem ſoluunt aucupi.

„ Niſi forte, vt nunc quidam, litui clangore „ aut tubæ, auem capi credis. aut ignoras, „ pueris plerunque, ne quid domi turbent, „ aut moleſtiam parentibus exhibeant plo- „ rando, crepitaculum in manus dari. „ quod facillime, vbi viſum eſt, eripitur. „ Quanquam à majoribus initio pecca- „ tum eſt. Nam quid imprudentius Alba- „ no: qui crudelitatem alibi exercuit, vt cę- „ teros, qui ſuæ ſpontis adhuc eſſent, mo- „ nitos exemplo cæterorum, quaſi jam op- „ preſſos, ante tempus in nos concitaret. „ Adde his invſitatum Belgis dominandi „ modum, imminuta jura populi & priui- „ legia, euectos ad honores, peregrinos, ac „ inviſos. Adde & tributa violentius ac du- „ rius exacta. Quæ ſub domino irrita- „ menta animorum ſunt. vbi peruicacia „ pro libertate & aduerſus ſeruitutem ar- „ ma ſemel placuerunt, etiam majora a „ volentibus penduntur. vt ne vitam „ quidem quiſquam liberorum æſtimet

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, aut ſuam quam pauciſſimis in dieḿ quiſ-
,, que aſſibus taxatam, morti & periculis
,, exponit. Apud Batauos præſertim, ita
,, populo Romano formidatam gentem,
,, vt ſocietatis nomine, oneribus exemptos
,, & collationibus, in vſum modo prælio-
,, rum, velut tela atque arma (verba Taci-
,, ti agnoſcis,) reſeruarent. Et jam prædæ
,, ſtudium acceſſit. vt tributum graue ab
,, iis exigant ac cogant, quibus modica per-
,, ſoluere haud dignati erant. Quorũ odor,
,, non popello tantum militique, ſed Prin-
,, cipibus quoque ipſis, quamuis ex vrina,
,, gratus eſſe ſolet, vt hiſtoriæ teſtantur.
,, Quibus ille, cum jam nihil prope detre-
,, ctarent, & licentiam audendi, quam for-
,, tuna auxit, & ignotum, ipſis quoque,
,, maris vſum, ita inſtillauit, vt haud pa-
,, rum hoc magiſtro profeciſſe videantur,
,, & Hiſpaniæ jam ipſi graues eſſe poſſint;
,, armis certe, ſi quid judicare queo, expu-
,, gnari ægre poſſint. Quanquã eſſe ſciam,
,, qui jam vincula ac pœnas, tanquam
,, captis, apud nos quotidie minentur: qui
,, victorum ſpolia jam legant, & trium-
,, phum canant. Eſſe partium noſtrarum
,, inter ipſos, qui vel triduo rem poſſe con-
,, fici ad nos perſcribant, & jam fiſcos te-
,, xant. In quo Claudius, ineptus alias ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, vagus princeps, multo circumſpectius, ſi
,, quicquam judicamus: qui, cum populus
,, palumbum poſceret, Daturum ſe rece-
,, cepit, vbi captus eſſet. Mihi quidem ita
,, ſemper viſum. Ac nonnunquam ſum
,, miratus, eos, quos prudentia commen-
,, dat, delirare interdum aliquid, quod
,, in vmbratico vix feras. Siue verum eſt
,, quod dico, ſiue quod ambiguum eſt
,, ante euentum, poſt hunc cuiuis patet,
,, ac non parum prouidentiæ diuinæ mix-
,, tum rebus noſtris, in diuerſa ſollertiſſi-
,, mas deliberationes rapit. Illud conſtat,
,, Bellum ſine ſumptu maximo ac dubio
,, euentu, cum munitis, neque minus ar-
,, mis quam tractatione eorum ac loco-
,, rum opportunitate, hactenus invictis,
,, confici vix poſſe. Iſto autem modo vix
,, eſt dubium, quin hic refectæ, ibi interim
,, diſſenſione ſua ac ſuſpicione Principum
,, diſtractæ vires, bello aliquid vtilius da-
,, turæ ſint. Sed & interim langueſcet ar-
,, dor, quem amorem vulgo libertatis di-
,, cunt: refrigeſcet cauſæ cogitatio ac in-
,, tellectus, qui haud ſæpe ad hæredem
,, tranſit. Adde, quod armorum quoque
,, exercitatio facilius remittitur quam re-
,, vocatur. Securos enim ac inermes, pa-
,, cis ſubeunt non minus vitia quam

amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ amor. Quæ eneruant animos: nec tam „ auerſos bello reddunt, quam inhabiles. „ & iſtos corpora ſequuntur. Adde, quod „ non raro Principum qui manu valent „ ardor cum ætate perit, vt & fauor po- „ puli, qui tanti quemque putat, quan- „ tum bello aut ſucceſſu præſtat. Vt omit- „ tam, magnam vitæ ejus partem, quo ni- „ tuntur iſti, & quem nunc pro muro ha- „ bent, ſine metu noſtro, ſic abſumi. Nun- „ quam autem redit quod elapſum eſt. Ad- „ de, quod interdum feſſa ætas, dum cun- „ ctanter omnia circumſpicit, a prima ob- „ ſcuratur: quod de Cæſare Tranquillus „ non tam innuit quam docet. vt omit- „ tam, vnica ſuſpiciuncula extingui an- „ teacta. Adde, quod occaſiones ſæpe ac „ momenta ſuperveniunt, quæ nemo ſpe- „ ret. Et quot nuper legionibus fuiſſet „ opus, ut Henricus Magnus, qui de toto „ orbe cogitare videbatur, ea ſpe deijcere- „ tur? Quo cum ſtrepitu ſcribendus mi- „ les, convectandæ machinæ atque explo- „ dendæ, impellenda tympana, inflandæ „ buccinæ, atque alia id genus, quibus, tan- „ quam puerorum crepitaculis ac ſignis, „ militares animi ac vulgus detinetur? „ Quorum neutri de ſucceſſu admodum „ laborant. qui hic ſemper pendet, & aut

,, mora deterit victoriam aut ſumptu. Ple-
,, no die, populo ſpectante, ictibus duobus
,, tota res confecta eſt. Et nunc ille indo-
,, mitus, inuictus, publicus Europæ terror,
,, longe a deſtinatione ſua

placida compoſtus pace quieſcit.

,, Si ad loca beatorum perueniſſe poteſt,
,, qui nec pietatem veram hactenus pro-
,, mouit, & diſſentientes clam prouexit
,, Rerumpublicarum certe vires, quæ con
,, ſiliis vnius obſtant, callide ſuſtinuit
,, quibus, vt poſt illas Reges cæteri, quod
,, optime in ſacris fieri videmus, ſumman
,, poteſtatem vni aliquando cedant, laru
,, libertatis, quæ in vniuerſum dominan
,, tibus aduerſa eſt, prius exuenda erit V
,, in terris magnum illud quod Theolog
,, huc trahunt, & in quo nunc omnes oc
,, cupantur, aliquando fiat, a *Cognouit bo*
poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domin
,, *ſui*. Et vt vnicam Eccleſiam in terri
,, vnus Pontifex diſpenſat, ita aliquis ex
,, iſtat, qui terrarum orbem, bello a
,, diſſidiis exhauſtum, vt Auguſtus olin

Popu

---

a Eſ. 1. v. 3. Gloſſa Moral. Per bouem
aſinum intelliguntur ſimplices Christiani
per Iſrael Clerici, & ſpecialiter Theolog
intelliguntur.

„ Populum Romanum, cum ad pacem
„ intereſſet, ſub imperium accipiat. Cui
„ plurimorum voto vnus maxime obſti-
„ tiſſe creditur: qui nunc fatis locum ac
„ diuerſa ſentientibus conceſſit. Præter
„ expectationem certe, vt ipſi, ita fœde-
„ rati, poſt tam magnum facinus atque
„ audax, jacent: qui celeritatem iſtam
„ aut non penetrant, aut imitari in Re-
„ publica non poſſunt. Semper enim ſe-
„ rum eſt quod multi ſciunt, & plerun-
„ que aliqui non probant. Tum quæ ma-
„ gna ſunt, incœpta temere, non parum
„ nocent: de patrato fruſtra diſputatur.
„ & quod publice vtilitatem habet, con-
„ ſcientia paucorum tegit aut inuoluit.
„ Ac frequenter alibi autoritate vel vnius
„ vel multorum fit, vt hæc non tangi,
„ ad tranquillitatem publicam interſit,
„ aut prudenter intereſſe prætendatur.
„ In quæ homini priuato nunquam ir-
„ rumpendum eſt. Ac fuerunt quidem,
„ qui in parricidium nonnihil inquiren-
„ dum judicarent. Quæ res ne turbaret,
„ protinus,

Tibicina, & Hymenæum qui caneret,

„ ex aula oblatus eſt. Neque metuunt, ne
„ idem ſibi fiat. nunquam enim interit
„ Hiſpania, aut nihil agit. Cujus Reges quo
ple-

,, plerunque minus ſapiunt aut vident, e
,, res felicius procedunt, & imperium pro
,, tendi ſolet. Quod prudentiorũ tum co
,, ſiliis permittitur. Ex hoc tempore auten
a *Gallia omnis eſt diuiſa in partes tres.*
,, Cujus qui arcana penetrant, hoc agun
,, vt non tam ætatem, quod objiciunt no
,, nulli, quam autoritatem magniRegis al
,, quando pro ſe habeant, qui noſtra mo
,, derantur. Aduerſus quam facillime irr
,, tari poterunt, qui hactenus obſiſtunt. V
,, rebellionis crimine deformes, vrbibu
,, quas tenent, exturbentur. Quos ſic ſin
,, vt nunc ſunt. Nunquam defuturos ſci
,, qui conſiliorũ vehementia ſpes propri
,, corrumpant. Magna ibi dominatione
,, noſtræ inſtrumenta, imprudentiam
,, populi impatientiam, habemus. Quib
,, vires quoq; à noſtris miniſtrandas ce
,, ſeam. Et aduerſus majeſtatis vim, facil
,, me a talibus delinqui ſolet. Quæ vt nu
,, quam recte violatur, ita, ſua cuique ſa
,, commendata eſt. offenſam autem pri
,, quam offendi ſentiunt, quos impetus
,, ardor ſuus rapit. nec regreſſus datur. B
,, lum quidem certe auguror ac video. Q
,, ne ſimul vna mole pars aduerſa veni
eoru

a *Cæſ. lib.* 1. *De bel. Gall.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

eorum intereſt, qui obiter defungi volunt. Quorum vt nonnulli clam per ſuos animandi, vt in bellum ruant, ita quidam callide in diuerſa protrahēdi erunt, ne jungantur. Neque magno opus ad victoriam conatu. Satis eſt huc deduxiſſe, vt vinci debeant ac poſſint. Nihil enim metuendū habent; quos, vt cauſa, multis etiam ex iſtis improbata, paucos, ita Regis jam extincti fauor, olim quidem formidandos, nunc, vt facile vincantur, inſolentes & in bellum pronos fecit. Quod nec geri nec parari poteſt, niſi vires ſuas, tanquam lima, maximus Rex terat, & dum hoſtes noſtros tollit, ipſe afflictus atque exhauſtus, viam fatis Hiſpanorum ſternat. Nam Italia quo loco ſit, non minus patet. altera, nimirum, parte jam teneri Et quid ſi inferiora huc accedant? Si Germania tentetur, aut ex arte in diuerſa diſtrahatur? cui rei ſcena & occaſio deeſſe diutius non poſſunt. Datur eo per ſuſpiciones, datur per diuerſos de religione ſenſus, quod nunc malum vigilantibus vbique fauet, maxima occaſio atque aditus. Quorum ſtudiis ac partibus qui diſtrahuntur, citius euerti quam conciliari poſſunt. Neque quicquam pronius, quam vt pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ vna hoſti vtriuſque in exitium alterius
„ accedat. qua ſublata, prædæ & exitio re-
„ linquitur qui minus poteſt. Et quid ſi
„ gens hactenus ſanctiſſima Heluetii, aut
„ ex iis quidam, aliquando diſcant, quod
„ jam pueri vbique ſciunt,

quid valeat nummus quem præbeat
vſum:

„ quid ſit illud ex Hiſpania,

conciſum in titulos faciesque minutas,

„ quo facilius quam ferro, primum animi,
„ deinde vrbes expugnantur? certe miſeri
„ ſi nondum norunt, cujus precii ejuſdem
„ populi moneta ſit, quæ publice inſcri-
„ ptum habet, DIVIDE ET IMPERABIS.
„ Et quid, ſi Regina libertatis, Venetorum
„ ditio, cingatur? Si, vt longius nunc eam,
„ ipſe Rex Sacrorum Pontifex cum tota
„ cœli jurisdictione his inuoluatur, & aut
„ alieni numina imperii adire, aut, quod
„ ante factum ſcimus, extra Chriſtianum
„ orbem petere ſubſidium cogatur? Quan-
„ quam, ne hoc Deus ſirit. & concordes
„ ſpero fore. Noſti tamen, eos qui relli-
„ gione armantur, multum apud eos poſſe
„ quibus ſanctitatis expedit opinio ac me-
„ tus: vbi vero ad ambitionem vel poten-
„ tiorem ventum eſt, vtilitatem præva-
„ lere. Quod Italia non ſemel didicit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

,, a Ac non ita pridem viſa eſt pedum via:
,, etiam ad vrbem & ſupremum fidei an-
,, tiſtitem. Nam de vobis amplius non ad-
,, do. qui poſt iſta omnia, quid expectan-
,, dum ſit videtis. Tantum Reatinos Aſi-
,, nos ac Celtiberos nunc omitte, & ad Bel-
,, gas, qui, vt cæteri, ſecure agunt, oculos
,, conuerte. Qui, ni cauent ſibi, ac ni alteri
,, non nimis properant, aut ſubito offen-
,, dunt eos, qui, ut multum poſſunt, ita
,, nondum iſta credunt, mirum rebus
,, auguror euentum. Ita a prudenti hoſte
,, feſtinari video. Cujus, quod nonnulli
,, aut cœcutiunt, aut in perniciem vel pro-
,, priam vel mutuam conſpirant, partim
,, ſalus, partim ars eſt. Nam quod de ſub-
,, ſcriptione neſcio qua vrges; res non
,, tanti eſt. Et

b *de ratiuncula*
Iam pridem apud vos relliquum pauxil-
lulum

,, adhuc reſtare putat. Aliquot nunc Belgæ
,, veſtri terras poſſidét, quas pridem factum
,, eſt cum aſſerunt. Illi vim opponunt; cui
,, hactenus fortuna & ſucceſſius adfuit. Ac
,, nunc forte eſt, vt vſu doctus arbitre-
,, tur, armis ac vi bellica inexpugna-

N biles

a *Anno 1527. a Borbonio.* b *Terent. Phor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ biles, aduerſus pacem aut imaginem il-
„ lius, imbecilles fore. Et, paulumne in-
„ tereſſe cenſes, ſanguine ac labore multo
„ an prudentia perueniat quo optat? Nam
„ & ſuum poſtulat, vt arbitratur. Et, quid
„ ſi ad imperandum natus, inſuper fatali
„ rerum omnium viciſſitudine, ac diſſen-
„ ſione ſingulorum, quæ venena Princi-
„ pum ac Rerumpublicarum ſunt, huc
„ trahitur? Nam vt aliquid fatale, ita na-
„ turale aliquid in libertate eſt. Quam qui
„ optime aut tuetur aut inuadit, omnium
„ judicio, aut ſuo, quod hic ſatis eſt, di-
„ gniſſimus imperio habetur. Reliquis ſer-
„ uitium, vt bubalis aut aſinis, natura ſuo
„ jure imponit. De quo fruſtra queritur
„ qui jugum jam admiſit. Adde, quod
„ victorem nemo de contractibus aut fide
„ apud judicem accuſat: nec ciuili actione
„ vindicatum legimus, quod jure bellico
„ amiſſum eſt. Solis ſiquidem æqualibus
„ opitulantur leges. Quare, quantum vo-
„ lent, tumidum, ignauum, etiam crude-
„ lem, vocent. Quantum enim ejus re-
„ fert, cui fixum inter illa immotumque,
„ caput rei & imperium vrgere! haud
„ ignaro, voces iſtas aut querelas, pariter
„ cum libertate tolli. Nam benignitatem
„ ac virtutes, nomina ſuperioris eſſe.

Cætera,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ Cætera, ſine vllo ad ſucceſſum aut victo-
„ riam momento, hoſtibus ſolatio aut
„ oblectationi relinquenda. Reſtat illud de
„ crudelitate ac violata fide. De quo, vt
„ nunc excuſare nolim, aliquid à milite
„ nonnunquam in direptione urbium,
„ dum ira feruet,

Gladiuſque felix, cujus infecti ſimel
Vecors lubido eſt,

„ parum ex humanitatis legibus patratum
„ eſſe, ita vide, ne hoc probrum iis aliqua
„ ex parte debeat cum quibus bellum geſ-
„ ſit. Fama enim & opinione aduerſus
„ hoſtem animare plebem, vetus mos eſt.
„ Belli autem jura nunquam violat qui
„ fortiter rem gerit. *Atque ad me conuer-*
„ *ſus*, Niſi Batauorum, inquit, comita-
„ tem ac ciuilitatem nobis tu commen-
„ das: qui non raro naues totas bona fi-
„ de, tanquam proprias, ex alieno littore
„ traducunt. Gryphos dicas, qui argenti
„ quicquid mari vehitur & auri, vt nunc
„ cæteras omittam merces, cum puluiſcu-
„ lo ad ſe conuerrunt. De fide autem, di-
„ ctum illud memor tolle,

Si violandum eſt jus, imperii gratia
Violandum eſt. aliis rebus pietatem colas.

„ Quam ſententiam non omnes laudant;
„ pauci tamen ſunt, qui, cum occaſio of-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

„ fertur,prorſus , quanuis cum iniquitatis
„ fama, negligant. Quanquam abſit. Et, ſi
„ quid liberius in vino. noſti. his præſertim
„ ſacris mecum hodie initiatus. Ac efferri
„ nolim quæ non aliorſum quam tentan-
„ di tui,ac ne ſermo hic deeſſet, a me dicta
„ ſunt. Nam,vt quidē ſpero , Deus animos
„ vtrinque,ſiue induciis ſeu pace,lege æter-
„ na junget. tum virtutem quidem citius
„ in noſtris accuſabit ſaxo hoſtis quam
„ conſtantiam in dictis.

Atque hæc quidem iſte;indignante multum noſtro ac furente. Et cū additurus quędam alter, alter aliquid repoſiturus videretur,interuentu peregrini ſermo hic diremptus eſt. Tantum, ne a ſæculo ac temulētia abiret,aliquot cōuicia retorſit. Sed ad rem vt redeamus: Quicquid reliquis negauit, vni contuliſſe aſino natura mater optima videtur. Cujus cauſa,quanto ad hunc maxime accedunt,tanto magis anteferri cæteris mortales ſolent. Niſi quod vix ad quadrupedes , quod maxime mireris , bipedes accedūt. Quanquam ne hoc quidem mirū, cum illius cauſa iſti quoque commendentur. Credo, quod ex illis nihil fruſtra , nihil,niſi ex judicio ac vſu hominum,natura fecit. Totum quantus eſt a capite ad calcem mihi vide. Exclamabis merito,

[a] Θησαυρὸς ἀνθρώποισιν ἐς ὄνος καλῶν.

Adeo pars nulla, nullum prope in aſino eſt membrum, quod non aut humanis vſibus aut morbis, a natura deſtinatum. Nam caluariam, vt hinc incipiam, ac jecur, ei, quem Comitialem, ſiue Sacrum, nuncupant; lienem, vitio ejuſdem partis; renes tritos ac cum vino ſic exhibitos, veſicæ; ſanguinem, quotidianis febribus; pulmonem, cum ſuſpicio ſuboritur veneni; carnem phtiſi; cinerem poſtremo vngularum, fimum, ac vrinam, plurimis mederi, pridem obſeruatum eſt. Ac præclarum ſit oportet animal ac ſacrum, cujus excrementa quoque veteres mirati ſunt. Quod euênit noſtro. Ideoque hoc nomine a Grammaticis, nec ſine graui cauſa, vapulat Homerus. qui tam grandi alligare ſe facinore auſus eſt, vt aſinorum excrementum, bubus, nihil majeſtatem noſtri veritus, tribuere non dubitet. Et quid, vel indignius vel grauius, ſi viri ſumus, dici vel excogitari poteſt, quam vt tanti animalis tanta res proſtituatur, & quod proprium eſt aſinorum, peſſimo exemplo, ac trahenti, vt poëta ait,

Perniciem veniens in æuum,

N 3 nunc

a *Theſaurus bonorum hominibus eſt aſinus.*

nunc ad boues, nunc ad equos, viciſſim transferatur? contra omnes quidem leges, quæ ex meo tuum domino nolente vetant fieri. Lis inprimis magna, & eorum digna tribunali, qui de vmbra aſini in ſcriptis libentiſſime jus dicunt. Excrementum, aiunt, aſininum, ὄνθος proprie vocatur. *a* Homerus autem eo quo certamina deſcribit libro, ita properaſſe *b* Ajacem in currendo ait, vt *c* εἰς ὄνθον βοῶν, magnus heros, laberetur: ac deinde, tota facie hac tinctus, riſum omnibus moueret. cum in aſinino, ſummum vſum, ſummam omnes dignitatem ponant. De quo, ut nunc cæteros omittam, ita Columella: *Optimum putatur* (loquitur de excrementis) *id quod facit aſinus. nam id animal lentiſſime mandit: ideoque facilius concoquit, atque idoneum protinus aruo fimum reddit.* Atque hinc lætæ ſegetes. quibus, velint nolint, ſuſtinere vitam homines coguntur. Eundem equis quoque tribui, Grammaticorum maximi obſeruant. nam *d* ὀνίδια & ὀνιαίας, etiam de equis dici. Vt jam, niſi interdicto hic pro-

---

a *Vide Pollucem, & cæteros Grammat.*
b *Iliad.* 23. c *Fimum boum.* d *Vide Heſych. & Suidam.*

prohibitorio ſuccurrat Prætor, de poſſeſſione fimi in diſcrimen cliens noſter veniat. Carnes ejus, quanquam id Galeno non probetur, in deliciis fuiſſe aliquamdiu, minus mirum. ac inprimis Mæcenati, cui cum

Nec multinummus piſcis in mari captus
Elops, neque oſtrea vlla magna captata
Quirent palatum ſuſcitare,

ut Varro loquitur; ſolæ iſtæ placuerunt. adeo, vt nihil æque maximo ingeniorum ſaperet fautori. Quod cur pauci noſtra tempeſtate imitentur, cauſam eſſe puto, quod, ex veteri Pythagoræ opinione, auum quidam, aut parentem, aut cognatum aliquem defunctum, morſu violare timent. Et fortaſſis res periculo non caret. cum in hoc præſertim animali, cui tanta eſt, eritque in poſterum cum homine affinitas, [a] παλιγγενεσία videatur metuenda. quam & in Phædone Plato, &, ſi Chriſtianis credimus, in libris Περὶ ἀρχῶν, etiam Origenes, admiſit. qui in equos, mulos, ac ſubinde aſinos, tranſire animas vaticinantur. Nam quod tranſitum hunc animorum negat Ariſtoteles, qui in belluarum corpore eas actiones, quarum cauſa ac princi-

a *regeneratio.*

pium humana anima habetur, præparari poſſe negat, locum hic non habet, cum in noſtro ſæpe aſinus naſcatur, & ſub opibus ac dignitate lateat aut fallat. Mentem certe (vt de iſta primo agam) principem in noſtris obtinere locum, nemo eſt qui neget. Cui tanta eſt cum aſino vicinitas, vt Criticorum primi, alterum pro altero aut ponant aut confundant. quaſi nihil inter aſinum ac hominis interſit mentem. Nam cum Ariſtophanes in eo Dramate, in quo feſtiue magis quam ex vero Socrates traducitur, venuſte dixerit,

a Τί δῆτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπ' ὄνου καταπεσών;

dubitarunt illi, vtrum ἀπὸ νοῦ, quod eſt, *a mente*, an ἀπ' ὄνου, ſiue, *ab aſino*, legendum eſſet. credo, quod vt inter literas, ſic inter res, de quibus agitur, exiguum diſcrimen eſſet. Quin & cauſam addunt. Duos enim ajunt *b* in deſerto quodam cum errarent juuenes, ibi neſcio quo caſu quendam (ſatis enim frigida fabella mihi quidem ſemper viſa eſt) occurriſſe aſinum. De quo cum inter ſe certarent, aſinum, acutum, vt plerunque

a *Quid nugaris tanquam ab aſino lapſus?*
b *Vide Schol. in Ariſtoph.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

runque ſolet, ac Grammaticis qui iſta tradiderunt, non diſſimilem, vtrique elapſum. Cui quid euenerit exinde, non exponunt. Vitioſe in re tanta, e qua Græciæ totius eruditio pendebat. Neque alia fortaſſis dari poteſt cauſa, cur Apollini clientem noſtrum Hyperborei mactarent: cur Sileno item, Deo rerum omnium perito, ac, vt quidam volunt, Genio diuino, qualis affuiſſe Socrati putatur, aſinum aſſignent. Adde, quod in Medicorum libris, vbi ἀνȣ legitur nō ſemel, vtrum ὄνȣ, an ἀνθρώπȣ, ex contractione vſitata ſit ſcribendum, etiam a Medicis, in controuerſiam vocatur. Vt cum de caluaria τȣ̃ ἀνȣ Trallianus agit. Cui ſimile eſt propemodū quod *a* Criticis in Sacra pagina euênit: qui cum, *fortis aſinus*, ſiue, *oſſeus*, in Sacro codice inueniſſent, iiſdem prope literis decepti, *bonum cōcupiuit*, reddiderunt. quaſi ſummum bonū atq; illius deſiderium, non aliud quam aſinum ſignificaret: ad quod, nomen aſini, occulta quadam ratione ac fataliter, *b* accedit. Ejus, cuius ſtudium tot modis atque amorem veteres teſtantur, vt cum bono jure a nobis quoque Pamphilus indi-

a *Num.* 16. 15. *Vide infra.* b *apud Hebræos.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

indigitari poſſit. Quo referri tot honores ac prærogativæ poſſunt, quas deferre huic vni, etiam antiqui, conſueuerunt. Medici præſertim. Nam Ajacem quidem ſummis atque heroicis affectum inter homines poëtæ fabulantur. quia vni floſculo inſcriptum maximi herois nomen vulgo crediderunt: cum innumeræ propemodum aut herbæ ſint aut plantæ, quas non alio quam aſinino nomine, periti ſtirpium, & hodie & olim, inſcripſerunt. Qualis onochiles eſt & onoclea; altera anchuſæ ſpecies: quæ & nonnunquam Alcibiadis vocatur. vt cũ nomine aſini, herois, & hic, celeberrimi jungatur nomen. Hinc onagra quoque & onothera. Hinc & onopuxos, ſiue buxus aſinina. Vt & onopordon. qua guſtata noſter, Plinio autore, ventris (quod & alias non raro ex decreti Claudiani libertate ſolet,) crepitum emittere putatur. Hinc onobliton, onogyros, onobrychis, onitis, aliaque id genus. quæ vt rationem pro ſe habent, ita numerum excedunt. Credo, vt, quemadmodum arboribus amantes, ejus quem amarent olim inſcribebant nomen; ita hoc vbique occurreret amantibus, vbique legeretur. Ingenii haud dubio ac mentis admiratione. De qua qui ſiniſtre ſentiunt, ſtuporem ſuum aut malignitaté profitentur.

fitentur. Legat, cui operæ, quæ *a* Leo Africanus, in Deſcriptione Africæ commemorat. quæ, præſertim in ſuburbiis Alcairi, a doctiſſimis clariſſimiſque aſinis ad nutum hiſtrionis fieri teſtatur: nihil nimium judicia mirabitur Grammaticorum, qui vix ciccum inter mentem aſini ac noſtram intereſſe exiſtimant. neque dubitabit, quin bipedibus pleriſque quidam ejus generis ſint præferendi. Nam ſi hos ingenioſos, alios ex illis in eadem gente tardos credas, jam neceſſe erit, hanc, vt Genethliaci loquuntur, *b ἰδιοτροπίαν* ad aſtrorum poſitus referre. Vt nonnulli ſub Saturno, alii (prudentes illi ſcilicet ac vafri) ſub Mercurio naſcantur. Aut vt ſola Aſia ingenioſos orit. quod Europa non admittet, quæ minores nunquam tulit. Interim nonnullæ de ingenio adferri poſſunt cauſæ. Inter quas vel prima erit, quod a frigore abhorret, neque quicquam magis auerſatur. Sanguis autem frigidus alacritati officit ingenii & intellectus. qua de re præclara duo viri maximi *c* Plutarchus *d* & Galenus pro ſe quiſque annotarunt. Atque hinc illud,

Sin

a *lib.* 1. *c.* 20. b *proprietatem morum.* c *De Virtut. Moral.* d *Quod anim. mor. temper. corpor. ſeq.*

Sin has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circũ præcordia ſanguis.

Cui adde, quod in iis quæ vtrinque ſunt dentata, ponitur. In quibus quidẽ animalibus quemadmodum luxuriat nonnunquã adeps, ita ſeuum & axungiam ignorant. Qua de cauſa inter ea, quorum ſtupor manifeſtus eſt, in primis ſuem ſapientes ponunt. a qua, *ἀυωδία* vitium hoc dici ſolet. quam tot modis Ariſtophanes traducit. Et axungia, de fungo aut de homine qui nihil ſentit, vſurpatur. Quo reſpexit Martialis. *b*

Coſconi, qui longa putas epigrãmata noſtra,
Vtilis vngendis axibus eſſe potes.

Brutum, inquit, pecus ac ſuillum es, Coſconi, neque aliud quam merus ſtupor, & axungia. Ea enim in vngendis (cui nomen debet) axibus præcipuum habebat vſum. Plinius: *Antiqui maxime* (axungia) *axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum vtebantur. Vnde nomen.* Quod poëta, ſi quis ex antiquitate tota eruditus, in hoc loco (in quo fruſtra hacte-nus interpretes laborant,) feſtiuiſſime circumlocutus eſt. *c* Memoriæ Grçcorum monumentis proditum habemus, quendam nomin

a *quaſi ſuillitatem, dicas.* b *lib.* 2. 77. c *Vid.* *Suid. Ammonianus.*

nomine Ammonianum, magna eruditione, ac præſertim Græca, extitiſſe, qui diutiſſime inter auditores ſuos aſinum haberet. Ea olim diligentia præclari animalis, ea induſtria ac cura fuit. cum hoc tempore facilius in mari aprum quam in Græca lectione aſinum inuenias. Ac nonnulli tempeſtate noſtra (nam vt omnes, abſit ſane, & nõnullos noui qui per omnes cultus ad ſeueriora animos informent) ſine vlla ſapientię antiquæ, ſine vlla aut linguarum aut facũdiæ, aut mathematicarum artium cognitione, vbi more canum qui feſtinant, Ius ciuile, aut Medicinam, aut Theologiam eminus viderũt, protinus ad templa, ad Reſpublicas, ad ægros tranſmittuntur. Ita fit, vt illi ſemper legulei ſint, ac veris legum ſacerdotibus infeſti agãt: iſti, ſine antiquitatis cura, ad quam nunquam oculos cõuertunt, properantibus ad cœlũ, pro Galaxia, quem animis nobilioribus antiqui aſſignarunt aſinũ frænatum, vt loquuntur Genethliaci, oſtendant, quem ad manum habent. Hi poſtremo, ne in verba antiquorũ, ac ne ſui quidem Aſclepiadæ, jurare videantur, quem non legunt, male ſanis ſe inſinuent. quorũ chronicos plerunq; morbos, in acutos mutant. & vt ipſi ſua didicerunt, ita eos ad quos veniunt, compendioſe mori docent.

Quæ res ſummam ſine dubio terrarum orbi ignorantiam denunciat. Et hinc tot peruerſa tot infeſta viris magnis, qui ſeuera lege profecerunt, tanquam e putredine, judicia naſcuntur: hinc tot eruditionis hoſtes, tot auerſi Muſis animi ac alieni. qui haud ſecus quam in alium delati orbem, vbi eos legunt qui antiquitatem exprimunt aut aliquid victurum ſcribunt, dentem parant. tantum quia admirari ea neſciunt quæ admiratione digna ſunt, aut nihil vnquam recte didicerunt. Scirent enim, ſi quid profeciſſent, carmen vnum, aut epiſtolam, ſtupore dignam, & quæ ſæculum excedit, immortalitate dignam eſſe. Hi ſunt, qui plerunque quærunt, quid hic ſcripſerit aut ille, quid vel hic vel ille dignum nomine in vulgus edat: aut quid egerit poſtremo. Vt nonnulli de Scaligero & aliis hac tempeſtate. Qui videntur mihi, vt pro iis aliquid nunc dicam, operam dediſſe, vt nulli vſquam aſini extarent. Quod cum homini ſperare nefas eſſet (immortale enim ac æternitati natum eſt hoc animal quod commendamus,) nunc poſt fata graues vniuerſo generi perſoluunt pœnas. Hi ſunt, qui ne lectione quidem Græca aut intuitu dignantur. qui, cum loqui neſciant, hoc vnum rudunt, GRAECA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ESSE, LEGI IDEO NON POSSE. Quod ſi æuo patrum, in Italia Philelphi, Beroaldi, Barbari, in Gallia Alciati, Cu.acii, Budæi, Fabri, Rondeletii, Fernelii, in Germania Eraſmi, Capniones, aliique plurimi exiſtimaſſent, nulla hac ætate diſciplina, vel pateret omnibus, vel vſum atque acceſſum ſui publice præberet. nulla denique eſſet, quæ non ab interiore adyto quemcunque, vel e ſacerdotibus, arceret. Niſi quis fortaſſe reliquos aut arbitratur eſſe aſinos aut optat. Cujus generis nonnullos noui: qui cum ſcripta aliorum ſolo nomine & præfatione leuiter mutata edunt, carduis vel fœno victitare cæteros, ſecuri prorſus, opinantur. Neque hoc ſemper iis peſſime procedit, cum nonnulli ex Politicis, antiquos ne delibent quidem. Credo, quia non Italice aut Gallice, ſed Græce, ſua ediderunt. Quod venenum eſt eorum qui ſoliditatem eruditionis fugiunt aut rident: vmbram, cum verſantur inter ſuos, & imaginem ſectantur. tantum ad hoc nati, vt quæ neſciunt illudant: in his autem quæ videri didiciſſe aut ſcire volunt, lepidiſſimam ridendi eruditioribus materiem ſuppeditent. Non enim fungi ſunt quos tales arbitrantur. cætera tam frugi, vt, quæcunque ab imperitis litera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

rum fiunt, ne tum quidem male fieri exiſtiment, cum peſſime geruntur: ſi quis autem eruditus in Republica impingit, miros clam cachinnos tollunt, Nam hos pædagogos ac ſcholaſticos libenter dicunt. nulla cauſa, niſi quod, vt reor, primam in humanis rebus ignorantiæ prærogativam donant. Qui cum plures ſint, ne dubitandum quidem, quin & multi, & qui maxime ab ineptiis abeſſe ſtudent, proxime ad clientē noſtrū ſuo merito accedant. Ac, ſi ætas noſtra pergat, breui inter plantas, cardui aut bliti inſtar, ignorantia proueniet. Cujus cauſa vt contemptus eruditionis, ita hujus, educatio eorum, qui in terris primas tenent. Quorum inſtitutioni qui plerunque admouentur, ad arbitrium ac formam ſui, animum alumni fingunt. ne quem præter ſimiles miretur, qui ad rerum moderamen atque imperium aſpirat. Vbi enim nunc Philoſophorum placita ac ſcita? Vbi Xenophon ac Plato, quibus imbui ſolebat Princeps? Vbi Principi vaferrimo probatus, maximo *a* præfectus Ariſtoteles? qui priuatis quoque nunc ſubducitur, ac pene relegatur? Vbi eruditionis, hoc eſt famæ atque

---

a Vide Epiſtolam Philippi apud Gellium lib. 9. cap. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

atque æternitatis amor? Vbi vel prudentiæ vel iuſti meditatio ac cura? Vbi primo cuique commendata olim eloquentiæ exercitatio ac ſtudium? Notant priſci, Primum inter Principes alterius facundię Neronem eguiſſe. *Nam Dictator Cæſar*, inquit ſerius ac grauis autor, *ſummis oratoribus æmulus: & Auguſto prompta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat qua verba expenderet; aut conſulto ambiguus. Etiam C. Cæſaris turbata mens, vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus ſtatim annis, viuidum animum in alia detorſit. Cælare & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis ineſſe ſibi elementa doctrinæ, oſtendebat.* Hæc antiqui. Cum haud raro noſter, vbi primum informari cœpit, ad equorum curam (quibus nemo, ſi cum modo fiat, partes ſuas negat) ad venationes, atque aucupia, ab iſtis rapitur. vt prudenter, niſi fallor, agere cũ brutis diſcat, cui ſemper cum hominibus viuendum eſt. Qui ſi paulum provehi iam cœpit, ad ſpectacula ſcenarum ac nequitias Mimorum ducitur. quæ, ſine vlla arte, quam in talibus antiquitas profitebatur, nihil præter morum corrupte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

lam habent. Vt amare incipiat, quæ parum eſt ſi tantum oderit. A quibus, quia parum ſit ſpectaſſe quæ non agas, ad Lyceum Veneri ac aleæ dicatum, promouetur. In qua optimæ conciliator formæ, aut qui facta ſingula ac dicta miſeri alumni, plauſu maximo extollit, aut, ſi opus, auos proauos, ac tritauos, ex vltimis annalibus ſupponit, cæteris præfertur. Vbi, ne quid ad virtutem deſit, eam partem, qua preſtare cliens noſter creditur, exercet. Si quid temporis ſuperſit, de pictore aut ſtatuario pronunciare diſcit. quæ nonnunquam ſenes, tanquam ſeria, mirantur. Inter tantas cogitationes, quibus fœti grauidique incedunt, magno opere cauetur, ne vel genius vel vmbra ſapientis aliud agentibus occurrat. Forte, ne faſtidio abortiant aut metu. Quos, admoti quoque rebus, tanquam creditores ſuos, fugiunt aut horrent. vel anguſto ſtipendiolo ad meditationes ſuas ac delicias relegant. vnde nunquam poſtea emergant. In quo miſeri ergaſtulo ſi animum aut genium attollant, vt victurum monumentum domino inſcribere audeant, mendicitatis famam aut contemptus præmium reportant. Et miramur aſinos vbique primos eſſe, cum priores, ſolis iſtis omnia deferre, etiam eru-

diantur

diantur. Nam de corruptoribus iſtorum, non de ipſis, ſermo nobis. Quos non pauci è priuatis (pulchras animas nec tangimus, & has tuentur ſui mores, quibus ſæpe labes ac lacunæ iſtæ eruditionis, vel contagione vel exiſtimatione nocent.) imitari pulchrum ducunt. Vitio parentum hercules, ac negligentia cuiuſque. Iuuentutis indoles, quam ſero emendari poſtulamus, domi prius inquinatur. In amplexibus ac gremio materno, mores vitioſi imbibuntur. Quos cum riſu approbamus. donec quicquid publice improbatur, conſuetudo primũ, mox natura fiat. Cum his puer mittitur in ludum. Vbi ſi quid peccat; indulgentia eadem, cura ac imperium magiſtri inhibetur. Pœnas ſi det merito ac vapulet, exclamat atque accurrit mater,

Prouocatur pædagogus. Eho ſenex minimi preti, *(ſtrennue.*
Ne attigas puerum iſta cauſa, quando fecit
Si quid peccat,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.

Interim fortunæ ſuæ puero & vires patrimonii clam inſtillantur. Quæ nil minus equidem quam ſurdo dici facile adoleſcens probat. Hinc ad Academias & altiores meditationes ablegatur. Quo cum primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

mum venit, ad choraulem, citharœdum, aut laniſtam abit. Vel ſaltare diſcit, quanuis nemo ſit qui canat. Nam illuſtres homines vidiſſe, aut, quod ne Pompeium quidem, Principem terrarum, puduit, nonnunquam audiuiſſe diſſerentes, probrum ac indignum ſeſe habet. Interea doctiſſimus clariſſimuſque doctor, poſt prolixam meditationem, quaſi vetita aut legibus damnata narret, nuſquam magis quam in publico deſertum colit. *Vel duo vel nemo.* Plane a initium Timęi, *Vnus, duo, tres, quartus autem vbi!* Qui, ne galli quidem cantum, ſtragulis ſex involutus, poſt heſternas oblectatiunculas, hac nocte audiuit. Aut concluſus domi, Aquilonem matutinum caute vitat.

Ante focum, ſi frigus erit.

Aut languentem crapula heſterna ſtomachum, viuidiore hauſtulo ſolatur. Aut poſtremo curas, more Achilleo, ad teſtudinem aut citharam, ceſſatum ducit. Ad quam ſapientiam nonnulli pædogogo vti ſolent. Quaſi nihil ſcire, nemo per ſe diſcat. Si quid tantis ſtudiis ſubduci poteſt, intempeſtiæ nocturnæ deputatur. Fores aut feneſtræ impelluntur: metus dormientibus, abor-

a *Vide initium Timæi Platonis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

abortu, grauidis conciliatur. Atque interibi nonnunquam ex obliquo delicata aliqua effigies

a riſu roſeo,
Oculis ſuppætulis, nigellis pupulis,
Sigilla impreſſa in mento amoris digitulo,

miſellum in ſe animum defigit. Ad quam opes ſilicernii ac tatæ, quæ ex jure heſterno panem domi atrum cum Simone vorat, dilabuntur. Habitus, ex vſu jam recepto, ſumitur atque immutatur Peregrino mure veſtes imbuuntur. Annuli ac redimicula parantur. Alienum æs clam adhibetur. Fœnerator, aut daniſta callidus, rem facit. Coma doctius tondetur.

a *paruuli*
Intortuli demittuntur ſex cincinnuli.

Ad ſpeculi conſilium de forma itur. Ex cujus ſententia, capillus ſæpe idem bis aut ter diſponitur. Pila dies ducitur, aut folle. cui alea ſuccedit. In complexu dominæ ad fides bibitur atq; eſtur. Copæ ac caupones, ſcriptione duplicant quæ præbent. Tandem ne quid ad felicitatem deſit, æs exigitur, vrgetur.

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius:
Petunt fullones, ſarcinatores petunt.

Mox

---

a *Varro ibid.*

Mox incedunt

Sedentarii ſutores, diabathrarii.

Quorum importunitate ac moroſitate tandem victus, in diuerſa animum volutat. Et

Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt.

Scribi ad parentes placet. Vnus è nequitiæ conſultis aduocatur, qui ad arculam ſcribenti ſedet, aut ſcribenda dictat. *a* Equus adornatur.

b *O Troia, o patria, o Pergamum, o Priame, periiſti ſenex!*

Cum maximo verborum apparatu, de atroci valetudine ac diuturna, ſcribitur. Quorum ad conſpectum, ſenibus hærere ſanguis, vetulæ cor cum veſica frigore conſtringi. Et continuo in mentem venit, *Magnas animas in terris raro diurnare.* Poſt quas alteræ (in quibus nihil de arcanis Reipublicæ) ad matrem dantur. Quibus longæ ac prolixæ rationes annectuntur,

Terribiles viſu formæ.

Anus, cui nunquam plumbea ſelibra prandium aut cœna ſtetit,

Obſtupuit primo aſpectu.

Viuam

---

a *Trojanus nempe, in quo latebant Græci.*
b *Vide Plauti Bacchides.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Viuam ac valentem ſpoliari ſe ac bonis exui, exclamat. Tandem rationes putat atque expendit. Quæ, impenſis in præſcripta medicorum, ac librorum titulis velatæ, eruditionis ac diſcendi ſtudio, clam ſene, excuſantur.

Vbi nugigerulis res ſoluta eſt omnibus,

rurſus ad ingenium reditur. Hilare atque amœniter cœnatur. Et, *Bene me, bene te, bene meam Glyceriolum. Mammam autem ac ſenecionem, quando miſere ac deparce viuunt, neque proſunt aliis, qui ſuui partis dicerunt, ſaluis copiis atque hærediolis, honeſte ac maturrime defungi. Se pro pietate ſua, vbi lux ſuprema appetet, honori funeris haud defuturum. Sibi vitam, illis mortem Diui proſperarent.* Denique, ne quenquam morer, cauſa quidem filii

Exequias Simoni, quibus commodum ire,
hem tempus eſt.

Matri quoque, vbi Deiuis viſum erit. Simul nummi, ſanguis vetulæ atque anima, per ſycophantias expreſſi, tanquam in triumpho, exhibentur. Gratulantur, clamant, Nummis probis, miſere atque indigne hactenus ſepultis, tandem affulſiſſe Solem. Ipſe autem Thales, ad parentes Bacchanalibus cũ viſit, libris aliquot ſuffarcinatus venit, faciem corrugat, ſupercilium ſubducit,

leges

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

leges ſpirat, centum denique clientibus exitium minatur. Tum de ſtudiis ſi quicquam vetuli, *Diſcendi ſemper quidem cupidum fuiſſe. Hac ætate autem vel inprimis ſcire, ſuam rem unius agi. Tempus labi: ire annos, quibus quotquot dies aliquid accedat. Unum id præ omni morbo, ſenio ac morbo ſibi eſſe, Raro admodum in Academia doceri.* Pater credit: *a* mater ſimplex animal ac mucci plenum, quæ filioli amore deperit ac lippit, temporum noſtrorum vices miſeratur, dolet. Academias accuſat. Gnati diligentiam deſtitui, ingenium fruſtrari, inter anus ſui ſimiles expromit. Ergo, *O cælum, o terra, o maria Neptuni! Suum cuique carum eſſe. Hunc ad maximas res natum. Iam à puero mirificam de ſe ſpem patriæ ac ſuis præbuiſſe. Parcimonia inprimis ſemper ac frugalitate ante cæteros fuiſſe. Multa eius rei argumenta ſibi eſſe. Et jam olim, talos ſuos cæteri ac nuces cum donarent, ſinu triſtem condidiſſe aut ſignaſſe. Saluos eſſet, ac de ſtudiorum nimia intentione aliquantulum remitteret, ſimillimum majorum ſuûm fore.* Enimvero,

Res

a *Puta*, moer Floris, *aut* Tryn Ianſſen. *quæ de Profeſſoribus iudicat.*

Res apparet. & quidem porro, obſonare
cum fide, *(viuium;*
Scortum adducere, apparare de die con-
Non mediocris hominis hæc ſunt officia.

Denique,

Senex delirus,

Anus fatua ac ſtolidè inepta. Accuſantur ſapientiæ doctores. quaſi, etiam abſentes, ſint docendi: aut non ſatis ſit, quod vel præclaræ juuentuti præeunt, vel apud aliquot faſtidioſos verba perdunt, niſi inter compotrices traducantur. Qui quod tempus ibi terunt, cum ſcribendo ſumunt, orbem ſibi vniuerſum, atque inprimis eruditionis proceres, obſtringunt. E quibus tamen nemo tam abjectus eſt aut demens, vt corruptæ juuentutis pœnas pro parentibus debere ſe exiſtimet. Ergo itur ac reditur: agitur, vt ante. Præter propter vitam, non in ipſa, viuitur. Quibus rebus aliquamdiu opera cum data eſt, vento primo aut occaſione, in Galliam feſtiuus puſio abripitur. Vbi nihil ſcire pergit. niſi quod criſtatus inſtar auis matutinæ, primam aduenisſe lucem in familiam denunciat. Ac ne longo deſiderio parentes vrat; anno proximo, cum muſto redit. De quo optime, in patriam reuerſus, judicat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

——ſic, hoc, dicens, aſperum
Pater eſt: hoc aliud lenius ſodes vide.

Ergo troſſulus, venuſtus noſter, anno duo & viceſimo, qui tertium jam ocreatus, Academias, ne quid hæreret vſquam bonæ mentis, aliquot perequitauit, tanquam auis peregrina, petaſatus ac ſagatus, domum atque ad ſuos venit. Illurica facies! e genere fungino. Qui ſi voces duas, vel ſingultim, Gallice exſudat, aut jam foro operam patroni titulo addixit,

Relinuntur dolia omnia, omnes ſcriæ.

Accurrunt ac conueniunt amici.

Vno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas patris,
Qui gnatum, nempe, *habeat tali ingenio præditum.*

Ex agro nutrix cum nutricio accerſitur. Gratulatur, clamat, plorat, lacrumat,

Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtaui meis!

Mater dormitanti juſculum, aut ſorbile vitellum, prima luce adfert, quo vitalia alumni excitet. Et,

Nate, mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratæ noſtri.

Denique,

Quid verbis opus eſt? hac fama impulſus Chremes, vltro

vltro ad Simonem venit,

Cum dote ſumma, filio vxorem vt ſuo

bonis auibus addicat. Quæ vtrinque annumeratur, non appenditur. Ergo

Mopſe nouas incide faces. tibi ducitur vxor.

Hinc ad ambitum transfertur: *a* vbi δὸς ϗ λάβε feruet. In quo vbi aliquantulum proceſſit, cæteros, inprimis autem eruditos, tanquam alteram ex ſe Rempublicam daturus, graui vultu aut obliquo oculo transmittit. neque quicquam præter magiſtratus & imperia jam fremit: quippe inſigni ignorantiæ viatico ad euertenda publica pro ſe inſtructus. Cui menſe nono, aut nonnunquã ſeptimo, ſimillima paréti proles, *b* ὄνος λύρας, naſcitur. Quales temporum noſtrorum parum gnarus, *c* Varro, alibi exhæredandos cenſet. Vigilate ergo eruditi quantum lubet. Nattis & nepotibus jam locus datur. etiam judicia de vobis permittuntur. Aut invidia ferenda, aut, ſi iſtud magis placet, deſerenda virtus: quæ impune nunquam inter iſtos poſſidetur. Quod vt à ſe impetrent erectæ mentes, nunquam auguror futurum.

 multo

---

a *da & accipe.* b aſinus ad Lyram. c *Vide Varronem Teſtamento.*

multo autem minus, vt in ordinem hos cogant. Nunc ad reliquas proprietates noſtri redeamus. Nihil magis probat, animal vicinum homini eſſe aſinum quam Ariſtoxeni exemplum. quem & aſinam amaſſe, & ex ea ſuſcepiſſe filiam, non autor aliquis e vulgo, ſed Rex ſapientiæ ac culmen, a Stagirita prodit: cui nomen fuerit Onoſceli. quo nomine & Empuſam Græci poſtea dixerunt. Forte quod cum cætera (nam hoc quoque addunt) exquiſitæ atque inprimis emendatæ eſſet formæ, matrem pedibus referret. Quo fortaſſe & Scipio reſpexit, qui cum mentis tarditatem ac dementiam Metello ad Numantiam obiecit, matrem ejus, dixit facetiſſime, ſi quintum peperiſſet, aſinum fuiſſe pariturам. Quod, ne nimium miremur, aut ſcriptori ſummo fidem derogemus, noſtri temporis experientia effecit. Nec diſſimile eſt, quod nuper pridem eueniſſe in Germania, e viris eruditis intelleximus. Vbi cum veſpillo quidam, non illepido ſcortillo, inter arma, vbi leges ſilent, illuſiſſet, grauidam ex eo mulierem, menſe nono aſinum humana ſpecie enixam. Quem, cum in antiquo

a *Vide Parall. Plut.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quo *a* codice legiſſet, Perſas aliaſque gentes voce aſini in bello tubæ loco vſos eſſe, eo tempore quo omnia ad pacem inclinare videbantur, *b* Sacrum claſſicum ſcripſiſſe. In quo nihil, præter cædem, ſanguinem ac neces, etiam infantium ac puerorum, ſpirat. tanto ſtrepitu ac omnium eorum qui Europam habitant, pauore ac metu, vt

c *Sub terris tonuiſſe putes.*

Adhuc enim, ne quis forte originem autoris controuertat, mortuos amare. Cui Furiæ Virgilianam præiuiſſe dicas: quæ, cum omnia in Latio pacata eſſent, claſſicum eodem modo canit.

d *cornuque recuruo*
Tartaream intendit vocem. qua protinus omne
Contremuit nemus, & ſyluæ intonuere profundæ.

Ac eundem nunc, poſt multa quæ in Reges, Gallum ac Britannum (cui maximo Monarchæ, tanquam cæco, ſummus artifex collyrium parauit) in Senatum Venetum

P 3 ac Ba-

a *Vide Herodotum, loco de quo ſupra.* b *Liber cruentus iſto nomine.* c *Vide Vitam Lucani. qui hoc hemiſtichium Neronis*, clariore, *inquit autor*, vētris ſtrepitu emiſſo, *in latrinis publicis pronūtiauit.* d *Virg. l. 7. Aeneid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ac Batauorum Optimates,ſcripſit,mira venuſtate noſtri temporis Pontificem delineare: quem in Pædagogo ſuo(eo nomine libellum edidiſſe,) ſimplicem ac bonum, cæterum, vt reliquos Europæ Principes, regnandi (credo quod crudelitatem nimiam non probet) imperitum docet. Ita omnia, quod ſcriptor Madaurenſis de ſe olim, etiam Pontifices, qui iſti minus fauent, de vnius aſini judicio nunc pendent. Aſini fœmella, decimo poſt menſe vnum, ac rariſſime, gemellos parit. Ita tarde res procedit. Magnum enim eſt quod naſcitur. Vnde cum non ita pridem, dicax quidam atque acerbus, eruditis vero vel præ cæteris iniquus, (quales nunquam deſunt, qui ex inſectatione noſtra laudem apud ſuos aucupãtur,) ex me ſcire vellet, vt quid adeo,cum tarde ac vnus naſceretur, tantum inter eruditos aſinorum eſſet;Plures fieri quã naſci, dixi. Inter eos daret operam ne ipſe eſſet.qui cum olim,non Latine tantum,ſed & Græce didiciſſet, nunc obliuionem eruditionis, cum contemptu ejus, mallet profiteri. Quam nunc ſolam ei laudem,poſt deſertas partes, vt pleriſque hac tempeſtate noſtra, ſupereſſe. Multos enim Baſſo ſimiles vbique reperiri. Quod cum quidam qui tum aderat cum riſu excepiſſet,

quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quid hic Baſſus ſibi vellet, percontari cœpit. Cui, numquam defuiſſe homines reſpondi, qui cum ſtolido ingenio ac tardo eſſent, nulla tamen re impenſius quam dicteriolis & lepida mordacitate caperentur. Inter eos Baſſum quendam Iulium fuiſſe, qui cum hilaris ac dicax, neque minus demens ſtolidusque eſſet, (eundem enim reor, quem facete incuſtoditum dixit *a* Plinius) vulgo Aſinum, & quidem Album, teſte *b* Fabio, in vulgus dictum. Album enim Græcis de hilaritate vſurpari. Vt cum, Album diem, hilarem ac feſtum, dicunt. Quod Latinos ab his mutuatos eſſe. Neq; multo aliter *c* Turnebo (quanto autem viro!) viſum. Methodum, cum coit, vt & equus, eam adhibet, quæ ὕστερον, vocatur: qua præ reliquis Homerus vtitur cum narrat. Ac triginta menſium, non major, fœminam inuadit; quanquam major aliquanto gignit. Quæ cum marem tollit, *d* validum plerunque agricolam aſtare aut aratorem, qui verberibus ac flagris dominam *e* coërcet, ne vrinam, quam admiſit, deli-

 catam,

a *Lib. Epiſtol. 6.* b *Lib. 6. cap. De Ridic.* c *Aduerſ. lib. 28. c. 31.* d *Ariſt. De Gener. Animal. l. 2. c. 8. Id. lib. Hiſt. Animal. 6. c. 23.* e *Id. Hiſt. Anim.* [illegible].7.23.

catam, temere cum altera, quod ſæpe fit, emittat, Ariſtoteles notauit. Equam vero, teſte eodem, ſugit, vt ad coitum ab ea admittatur. Quod ſic facile impetratur. Ac tum quidem ἱπποθήλην, ſiue, Equiſugum, dici volunt. Sed præcipuum naturæ munus, vt dicebam, eſt viuaçitas. qua æquales omnes quam longiſſime poſt ſe relinquit. Cujus cauſa optimus ac ſemper ſui ſimilis eſt habitus ac valetudo. Paucis enim morbis, vt & bene & cum voluptate ageret, victurũ diu animal expoſuit natura. Inter quos pauciſſimos, catarrhus eſt, quem maliaſmon medici hic dicunt. Qui ſi in pulmonem fluit, vita ac humanis rebus aſinus excedit. Idem euenire, quoties in tormina aut marmaron, equorum malum pariter ac canum, incidit, Aurelianus notat. Cũ in equis nulla corporis pars detur, quę non malũ aliquod admittat. neque vlla mulomedicinæ cura, vel a partibus internis ac externis, morbos totidem quot ipſæ, vel a toto corpore, nunc aridos nunc humidos, arcere poſſit. Ne hic enarrare cogar, quoties aut talus exeat, aut aluus ſpõte ſua fluat, aut veſica indignetur. Quibus malis cliens noſter, nec inuitus, nec cum damno ſuo caret. quem ſenectæ quoq; immunem quidam tradidere. Græci quidem certe

certe lepida *a* fabella ſuo more hic defunguntur. Expertem olim ſenii egiſſe aſinũ. cæterum, cum vehementius ſitiret, a ſerpente, qui ad fontem verſabatur, ea lege vt ſibi cederet prærogatiua, callide admiſſum. Qui nunc eam exuit cũ lubet, noſter vero onus bajulat ac ſeruat. Quanquam idem paulo aliter *b* Nicander, de quo ante. Longe tamen dignius de eo Hebræorum ſentiunt magiſtri. qui æternos quoſdam, &, quod maxime mireris, numero nõ ſpecie, ſtatuere videntur. Nam quẽ *c* Abrahamus, oblaturus filium, adhibuiſſe fertur, *d* eum eſſe, qui Meſſiã olim advecturus ſit. Quam & cauſam reor, quod tam tarde hactenus procedat. Etiam eundem eſſe, cui *e* conjugem ac liberos imponit Moſes. Neq; alium, quem *f* Zacharias laudat. Hæc magiſter Salomo. Neq; multo aliter, cũm oue aſinorũ primogenitum redimere ac ceruicẽ aſino incidi mandat Deus; huic ſuppar quidam ex eadem gente, verbum quo hic vtitur, haud paulo aliter interpretatur. Velle enim, vt ex aſini ceruice ſcheda appendatur:

---

a *Aelian. De Animal. l.6.c.51.* b *Vide Nicand. Ther.* c *Gen.22.3.* d *Summa. Iudæorum. in Sacrarũ expoſitione litterarum profanitas.* e *Exo.4.50.* f *Zac.9.9* g *Exo.13.13.*

datur: in qua reuerendum Dei, quatuor, vt vocant, literarum deſcribatur *a* nomen vt a reliquis ſic diſtinguatur. Ad quam dignitatem nemo Iudæorum facile accedit. Adeo vt quendam , cum id auſus eſſet, flamma crimen ex judicio luiſſe ferant. De quo nomine quam multa putide Grammatici nugantur. Vt cum dicunt , non mutari in regimine, quod immutabilis ſit Deus. Quaſi in Grammaticorum ditione venerandum illud nomen natum eſſe, ſapientiores quam ſunt ipſi credant : aut ab apicum ac literarum conſtitutione, tanta ac tam admirabilis ducenda ſit proprietas: aut quaſi denique in regimine mutetur nomen aſini, quod ſua ſemper fruitur prærogatiua, Tantum aſinis deferre ſolent. quos Rabbinis ſuis & doctoribus ſæpe anteponunt. Quanquam ſane ad iſtos hi accedunt,& ad hos viciſſim, qui in ſcriptis grauibus ac ſacris fuſius hæc exequuntur. Ne nunc addam quæ de aſina Balami a nonnullis diſſeruntur. Quanquam multo luculentiora iterum pro dignitate aſini hic adferant Iudæi. Aiunt Deum ſuum (nam de noſtro, quem impuri, poſtquam olim turpiter deſeruerunt , nunc illudunt, reue-

a quod ſcemhamphoras ab illis dicitur.

everentius loquendum eſt) poſtquam omnia creaſſet , ac jam feriata legibus iſtorum requies inſtaret, ideoque properaret, ne, quod illis grande nefas, luce ſeptima adhuc in opere eſſet, ſub occaſum Solem decem res ex tempore creaſſe.

a *Primo os terræ, quo cum Abirone Dathan hauſtus eſt.*

Secundo, os ſecundum. putei nimirum, quem percuſſo ſaxo legifer produxit: & qui aliquamdiu in deſerto populum ſecutus a Iudæis dicitur.

Tertio, os aſini, quo uſus eſt Balamus.

Quarto Iridem. ac cætera id genus.

Ac fabellas quidem vt complures ita hujus non abſimiles ſi quis requirit, cenſeo, vt hos magiſtros legat. Apud quos ineptam ſatis atque illepidam de *b* aſino, quem ad mandragoræ radicem Ruben alligaſſe dicitur inveniet. Vt & *c* alteram de candido nigellis auribus diſtincto, ac quæſito fruſtra; cum alterius, qui in quærendo operam nauarat, accuſatione ac calumnia. Vnde natum ſit proverbium, *Vidiſti aſinum*

num

---

a *Vide præter Hebr. Teſtat. ad 22. Num.* b *Vide Mercerum in Geneſ.* c *Vide Hebræum interpretem Ben Syræ, apud quem frigidiſſima fabella extat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

num rufum? nec rufum, nec album. Vt de *a* Phineæ aſello nihil dicam, qui nullius vnquam agro, quanquam ſuus ac ſolutus eſſet, nocuiſſe fertur. Iidem tamen in doctrina, quam a conſeruatione patrum, quibus eam debent, & acceptione ejus, Cabalam dixerunt, ſapientiæ in aſino conſtituunt ideam. quem haud aliter ac normam candidatis ejus exprimendum dicunt. Nam & tolerantem oneris cuiuſuis ac laboris, & contentum eſſe minimo, & ſimplicem, & minime iracundum. quæ in candidatis ſapientiæ ante omnia requiri. Ex ſententia Cleanthis: qui, cum aſinus audiret, nihil admodum offenſus, minime id mirum eſſe, dixit, cum Zenonis onus (diſciplinam præceptoris innuebat) ſolus baiulare didiciſſet. Ne quis admiretur, ſi exemplo, quod proponunt, ſuo, acutiſſimi doctores examuſſim præſtiterunt. Nam cum triplex ſit eorum Cabala, quam dicunt; vna quæ præcipuas a primo homine ad Moſen, vna, quæ ſequentes, ad Thalmudicos ſcriptores, qui interpretationem legis vniuerſam collegerunt, tertia quæ cæterorum obſeruationes habet ac traditiones; ſicut prima nihil fere præter

a Pa-

---

d *Vide Mercerum in Geneſ.*

a Patrum Capita, vt vocant, quæ adhuc ſuperſunt, ita hæc poſtrema, nihil præter *b* Aſinorum Mortes & ineptias complectitur. Quid quod ipſum Thalmudiſtæ ſibi vindicarunt nomen? qui ipſi de ſe alibi: *c Si antiqui, Regum filii fuerunt, nos homullorum vilium propago ſumus: ſin illi miſerorum hominum fuerunt filii, nos aſinorum ſumus.* Aſinorum autem filios eſſe aſinos, pronunciare audeo. Cultos quoque honoribus diuinis huic genti, tota pæne credidit antiquitas. Vnde illud Taciti:

> *Effigiem animalis, quo monſtrante, errores ſitimque depulerunt, penetrali ſacravêre.*

Quod non optime ſcriptori maximo proceſſit. Nam cum fidem notis teſtibus vbiq; comprobarit, ob ejuſmodi errorem, loquaciſſimus mendaciorum, a *d* ſcriptore Afro dictus eſt. qui collegas Appionem, Poſidonium, Molonem; etiam Strabonem cum Plutarcho; in hoc habet. Quam calumniam ad Chriſtianos, Iudæorum tra-

Q duces,

a *Quæ contracte* פ״א ſive Pirke Auoth, vocant. b Ὄνων θανάτους. *Proverbium de rebus frigidis.* c *In lib. Scabbath:* אם ראשונים בני מלכים אנו בני אנשים וגו׳.
d *Tertulliano.*

duces tralatam, omnes fere antiqui notant. Cum res tota, aſinino, hoc eſt, lepido errore, quem Hebrææ linguæ ignorantia inuexit, ad Romanos pariter ac Græcos, dimanarit. Quæ in iſtis non vulgaris ſemper fuit. Vnde ingenioſi nimis, atque in accuſandis Chriſtianis, quorum prorſus ignorabant rationes, ſæpe inepti, multa ſine vlla ſunt commenti. Vt cum Aſinarios nos dicunt: & quod hinc manauit, Deum noſtrum vngulis ac capite aſini formarunt. Qui fortaſſe cum ex aliquo per vmbram, (vt plerumque illi) Iudæorum olim gentem adoraſſe vitulum intellexiſſent; aſinum ex vitulo fecerunt. cujus aures merebantur. Quos deinde æmulata Gnoſticorum ſecta, Deum Zebaoth, vt Epiphanius teſtatur, vultu aſini exprimere non dubitauit. Quanquam habeant fortaſſe qui de ſolo agunt cultu, quo ſe tueantur; cum hac tempeſtate a Chriſtianis plurimi colantur. Quomodo & Tacitum, cum de Iudæis agit, facile eſt tueri. Nemo enim neſcit, quomodo Doctores ſuos, quos ad pecoris Arcadici acumen proxime acceſſiſſe conſtat, ea gens extollat. Nuſquam enim magis largi, nuſquam magis ſunt benigni. vt memoriam non minus defunctorum quam ſuperſtitum commendent. Neque

inepte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

inepte a Grammaticorum gente dici ſolet, **Cæcum & Iudæum minimo differre.* Neque fruſtra D. Hieronymus, Iſidorus, Auguſtinus (& quis non ex piis?) aſinum, quẽ Dominus poſthabuit, cum ejus tamen pullo vectus eſt, ad gentem iſtam ac eorum Synagogam, vno ore ablegant. Nam quod vſum aſino, profani quidam, qui in jocum ſacra vertunt (a qua peſte hominum vix dici poteſt quam abhorreamus) vel mirantur vel illudunt; imperitos conſuetudinis per Orientem tum receptæ profitentur. Neque, ſi id nouum aut inuſitatum illa tempeſtate accidiſſet, tam inuſitata ac divina acclamatione ſimplex turba; quæ in contumeliam propẽdet, ſic vehenti occurriſſet. Idem certe & Epiſcopos in veteri Eccleſia feciſſe conſtat. qui, exemplo Domini ac Ducis ſui, vt *a* Chryſoſtomus notauit, aſino plerunque vehebantur. Quod cum mirum nobis videatur, eo tempore ſuperbum ac ambitioni proximum nonnulli

* *Alluditur ad id quod vulgo dicunt,* Cœci cum patach : Iudæi cum camets. *Cæci enim* הַעִוְּרִים *cum brevi Hebræis,* הָעִבְרִים *cum longa initio vocali, ſcribitur.* a *Homil.* 1. *in Epiſt. ad Tit.*

judicarunt. quorum voces idem vir Sanctiſſimus recenſet. *Iſte ſeruos habet qui miniſtrant : habet aſinum qui vehit. Vt quid nobis praeſt ?* Sicut aliis objectum docet, quod non aſino ſed equo veherentur. Sed, vt libere, quod ſentio, de cultu dicam, quanvis ea eſt eritque ſemper aſini modeſtia ac pudor, vt relligioſum procul à ſe ſpernat, nunquam tamen tam abjecti fuit animi, vt eo minus ſe exiſtimaret dignum, quam, aut *a*Dagon ille Babylonius ac Palæſtinus, qui, ſiue Deus ſiue Dea, nihil aliud quam piſcis fuit, vt vocabulum teſtatur. Aut Sidoniorum nobilis Aſtarte, quæ a grege nomen habet. Aut formoſus Apis : ſiue is bos, quod nonnullis, ſiue vitulus, quod aliis probatur; ſiue e pecore, vt plerique, ſiue ex Lunæ radiis conceptus, vt placere doctioribus videtur. Aut antiquus ille Mneuis, alter item bos, quem Solis cives coluerunt. Aut Anubis, quem, cum canis eſſet, ſuperorum nuncium ac inferorum crediderunt. Quam poſtremo crocodilus, & id genus fœda animalia, aut bruta, quibus ſacra ac humana commiſiſſe Ægyptum conſtat.

a *De quibus numinibus vide quæ vir maximus Iohannes Seldenus in libro de Diis Syris notavit.*

ſtat. *a* Sed nec Ioue ſe inferiorem credit, qui, cum debellanda gens Gigantum eſſet, in ariete, aut Phœbo, qui in coruo, aut Baccho, qui in capra, aut Diana, quæ in fele, aut Iunone, quæ in vacca; Venere item, quæ, vt priſci memorant Theologi, ſub piſce, aut Atlantis ac Pleïones nepote, qui ſub Iſide delituit (eo, niſi fallor, modo, quo ſub aſino nugator Madaurenſis: cujus vicem noſter ſub quibuſdam latet, loquitur, ac ſcribit) aut Minerua Megarenſi, quæ ſub mergo. *b* a qua & Æthuiæ nomine ibi celebratam ferunt. Et haberet, quæ in aurem clam Priapo ſuo, cui noſtrum veteres ſacrificarunt, (*c* & quem ſola inguinis majeſtas inter Deos rettulit,) in aurem obganniret. Neque minus & quæ Belphegori, ſiue is Baalphegor eſt, quem ratione ſimili *ob magnitudinē obſcœni* (vt cum *d* maximo Eccleſiæ ſcriptore loquar) haud indiligenter Sacræ gentis fœminæ colebant. Quanquam ex Hebræo fonte, eum Taciti errorem, cum de aquis aſiniſque hariolatur, profluxiſſe arbitror. Ea eruditio ſcriptoris fuit, ea cura. Ac nonnulli quidem

 volunt

---

a *Vide Muthologos, & inprimis Ouid. Metamorph. lib.* 5. b *Vide Pauſ. Att.* c *Vide Hyginum & Muthologos.* d *Hieron.*

volunt cum in *a* primo Moſis, Ana Sebeonis, aut vt, non Sabini, ſed Rabbini ſomniare malunt, filius Thibbonis, *mulos*, vt quibuſdam placet, vt quibuſdam, *aſinos*, aut *ſtagna*, aut *confluxus*, aut poſtremo (nam de voce diſputatur) *thermas*, eo quo paſcebat reperiſſet loco; ex obſcuro vocis, ortam eſſe fabulam, quam dixi. quæ quid ſibi vellet cum neſcirent Græci, ne mutandam quidem aut interpretandam cenſuiſſe. Vnde & hodie in Sacris *b* eam reperiri. Ex qua vocis ambiguitate, aſinum & aquas, Tacitum junxiſſe. Illud quidem patet, quicquid hodie defertur equis, a Iudæis primo omnium fuiſſe aſino delatum. qui nec ordine nec recte, loco ac poſſeſſione motus eſt. Prius tamen dicam, quod in mentem hac de re nunc venit. more Criticorum, quibus veritatis quoque ſimulachra placent. Græcos puto, cum legiſſent, nihil a Iudæis adorari præter οὐνον (ita vulgo expedite vocem οὐρανὸν notare ſolent) ex hac ὄνον, ſiue ignaros, ſiue, vt erant hominum ingenia, feſtiuitatis cauſa ac ridiculi feciſſe. Idem imitatos poſtea Roma-

a *Geneſ.36.25.* b *Vox* ἰαμεὶμ, *quam Græci ſeruarunt, cum Hebræa ſit* ימים.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Romanos, qui, cum *cœlum* a Iudæis coli intelligerent, ex eo vocem, qua Italiæ vicini Dores vti ſolent, *cillum*, lepide feciſſe. Nam Iudæos, quibus nomen Dei ſui ne pronunciare quidem fas fuit, multis circuitionibus in exprimenda ejus poteſtate vſos conſtat. vt cum, *a* Cœli Dominum, vel, ex recepto linguæ more, Cœlum, a ſe coli dicunt. ſiue ea, quam jam dixi, cauſa, ſiue quo a monſtris ac prodigiis Deorum, qui a Philiſtæis, Ammonitis, Moabitis, Accaroniis, Sidoniiſque, ac aliis vicinis colebantur, cœli Dominum diſtinguerent. Quod qui ignorarent, in notiſſimo ac trito Iuuenalis loco,

Nil præter nubes & cœli numen adorat,

pro *cœli*, *cilli*, legiſſe. nam de nubibus quod addit, Drama Ariſtophanis haud dubie reſpexit. Quemadmodum in illo,

Et cœli ſummas inuocat auriculas,

nonnullis *cilli* placuit. Quod de ſiti addit, nullus dubito quin error ex anachroniſmo & confuſione hiſtoriarum ſit. Quod ex aſini maxilla, credo, qua mille hominum proſtrata fuerant, Simſonis precibus fluxiſſe

 fontem

---

a *Eodem enim illis redit* אל שמים *& ſimpliciter* שמים.

fontem audiuiſſent. *a* qui & poſtea ibidem extitiſſe fertur. Neque hoc magis mirum, quam ſtultiſſima non pauca, quæ de gente illa, non tam Tacitus quam quos ſecutus eſt, ſcripſerunt. Quale eſt, Iudæos ab Idæis oriundos, & ab iis ita dictos: aliaque eiuſdem generis, quæ pueri nunc rident. Porro jam in viam. *b* Sponſam quoque conſtat, aſino impoſitam, ad viri domum vehi apud eos ſolitam. Heroas quoque ac heroinas, etiam cum in procinctu eſſent, eo vectos, *c* Sacra pagina teſtatur. E qua ſingula non tango, ne, quod vulgo dicitur, profanem ſacra, aut, dum aſinorũ cauſam ago,

Aſini me mordicibus ſcindant, boues incurſent cornibus.

Quanquam ſcio, quantum cuique in obſeruatione antiquitatis liceat: ad quam omnia Græcorum dirigenda arbitror. Qui ſi primos aut non acceſſerunt vnquam aut ſuperbe neglexerunt fontes, mirum ſi id aſino luendum erit. Cui dignitatem atque honorem, quem Iudæi contulerunt, primo omnium Ægyptii, inepta gens ac impro-

---

a *Cuius forma qualis fuerit, Chaldæus interpres in Paraphraſi ad locum hunc oſtendit.*
b *Ioſ.* 15. 18. *&* *Iud.* 1. 14. c *Vide Iud.* 1. 14. *&* 5. 10. *&* 12. 14. *&* *paßim.*

improba, detractum peſſime iuerunt. quorum alios diebus certis aſinum *a* Typhonis cauſa, per ludibrium præcipité egiſſe, quoſdam vincti formam atque imaginem in libris expreſſiſſe, omnes odio immani proſecutos, veteres commemorant. Vnde Aſinus Ægyptius, quem omnes lædunt aut exagitant, prouerbio, ni fallor, dicitur. Adeo, vt Ocho, quem e Regibus Perſarum maxime auerſatos cõſtat, Aſini vocabulum addiderint. Qui facete, Aſinus hic bovem, inquit, veſtrum brevi epulabitur. neq; multo poſt, præcipuum Ægyptiorum jugulauit ac comêdit Deum. Ariſtoteles Politicorũ primo, inſtrumenta quibus patri in familia eſt opus, quædam animata quædã eſſe voluit inanima. Atque ad iſta quidem, ſeruos refert: ad hæc vero, cætera, quæ infinita ſunt. Qui haud ſatis prouide, ni fallor, inter animata, neque minus inter inſtrumenta, aſinum omittit. Solus enim, vt ibidem loqui amat, Delphica machæra eſt. cum, vt pauca alia, non vni, ſed quibuſuis miniſteriis atq; vſibus, accommodatus ſit. Nam & inſtar equi vehit: & in mola vſum ſui præbet. vnde *b* molinarii, & molarij, & molendinarii dicun-

a *Vide Plut. De Iſide & Oſir.* b *Paulo Iuriſconſ.* aſina molinaria.

dicuntur quidam. idem & commodius quam taurus arat. Ita quidem, vt hoc vnum didiciſſe aut egiſſe ſemper videatur. Ac in Africa vidiſſe ſeſe, a *nobiliſsimum centena quinquagena fruge campum*, vno aſino ac anu vomerem trahente, nullo admodum negocio proſcindi, Plinius teſtatur. Idem currus ac carrucas vehit: idem ſellam accuratius quam Davus aliquis aut Syrus tollit: pace quiduis, bello, quantum alibi eſt ſarcinarum, geſtat diligentius quam mulus. qui paternam quoque atque auitam exprimit virtutem: cum non raro noxæ ſint heroum filii. Vt non ſine cauſa veteres Romani, cunctis animalibus intenſione precii hunc præferendum judicarint. Vnde & aſinum trecentis *b* nummis Senatorem Axium emiſſe, e Varrone idem Plinius teſtatur. victo omnium, vt idem addit, precio. Et non ita multo poſt: *Quaſtus,* (qui ex aſinis) *opima,* inquit, *prædia exſuperat. Notum eſt in Celtiberia, vel quadragenis millibus nummorũ ſingulas enixas eſſe.* Ipſe Varro, eſt cum ſexaginta, eſt cum tricenis millibus H S, eſt cum quadragenis, Reatinos veniiſſe affirmat. Magno ſane ac pro dignitate precio. cum minoris longe ſex

cauſidici

a *Lib.* 7. *c.* 5. b *Lib.* 8. *c.* 43.

cauſidici ex eo genere qui nunc venales ſunt, cum totidem poëtis ac hiſtoricis mancupio haberi poſſint. Et minore quidam,quos Catones cenſeas aut Paulos, incolumitatem patriæ ac libertatem vendunt. Vnde factum puto,vt honeſtos omni parte admiſſarios in generatione aſini requirat Varro. idem, qui & dignitatem iis tribuit. a *Quo parentum*(inquit alibi)*gignãtur ſimiles, eligendi mas & fœmina; cum dignitate vt fiat.* Item, b *Nemo,*inquit,*eſt tam negligens, quin ſumma diligentia eligat aſinum, qui ſuam ſaliat equulam.* Certe quidem, ignorantiam in eo qui accuſant, nimiam eorum quæ hoc tempore laudantur, ignorantiam videntur præ ſe ferre. Nam qui hodie vel ſciunt aliquid vel huic rei operam dederunt,fungi ac vmbratiles,qui fundamenta artium, vt ipſas accurate diſcant, prius perceperunt aut intelligunt, Grammatici aut imperiti,qui Politicarum rerum demõſtrationes ex effectibus ac cauſis propriis, colligere ac ſcrutari accurate didicerunt, (quæ nunc elegantia ætatis noſtræ ac ciuilitas pleriſq; in locis regnat,) Pædagogi aut,cum contumelia, Philoſophi dicuntur.

Horum

---

a *Lib. 2. de re Ruſt. cap. 6.* b *idem Lex Mania.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Horum autem ille nihil egregie præter cæ-
Studet. *(tera.*

Primo enim, vtrum plus analogiæ an anomaliæ tribuat, incertum eſt. Qui, quod ſciam, nec ex Priſciano quæ Aptota, nec ex Probo diſcit quæ Catholica dicantur: nec conſtructionis atque articulorum vim ex Apollonio: multo minus, an ſimpliciter an ad exemplum certum ac æternum ex ſententia Platonis mundus factus ſit. Nam in ſingulis, quæ vocant, cuius generis Herbarum eſt hiſtoria & Animalium, haud multum profeciſſe, vnum maxime euincit. Ajunt quippe, in Thuſcia cicutæ quoddam genus eſſe, quam depaſci noſter, ſiue voluptatis cauſa, ſiue vt languentem carduorum aſſiduitate ſtomachum hac ratione erigat, nonnunquam ſolet: parum gnarus quidem ille, vt ſuſpicor, quid Socrati euenerit. Hoc perfunctus (quanquam maximis exemplis ac vi herbæ excuſari poſſit,) haud confeſtim tamen moritur. Cæterum lethargo graui captus, pro defuncto ac jam conclamato, jacet. Neque difficulter id agricolis perſuadet, qui haud dubia ſpe lucri, corium Endymioni noſtro protinus detractum eunt. Quod vt primo quidem, ne in-

a *Vide Matthiolum. ad Dioſcor. lib. 4. c. 74.*

ne indignum quicquam mortuo commit-
tat, nihil eum mouet, ita jam exutus parte
ſui, quod tum deniq; rem ſuam agi ſentit,
plenos illos maieſtate oculos cum pedibus
attollit. Quo, ineptum diſcerptorem ſuum
ac prædonem metu ac pauore in fugam a-
git. Credo, nõ quin verum illud Stoicorum
eſſe ſciat, Iuſtum & propoſiti tenacem, nul
la ratione ab inſtituto dimoueri: ſed, quod
ſummis oſſibus diuulſa cutis, vt mortali
omnes ſemine oriundi ſumus, graues ſen-
tiendi cauſas habet. Qui hac ratione, quan-
uis cæterorum parum gnarus, ſcitum illud
Medicorum, Ariſtoteli aduerſum, Inſtru-
mentum tactus cutem eſſe, autor maximus
confirmat. Idem, nec Politicorum axioma-
ta, nec Primæ quæ vocatur placita philoſo-
phiæ, neque Dialecticorum quæ ex hac pro
ueniunt, vocabula addiſcit. Non indoctior
nonnullis, qui hæc omnia contemnunt, &
digniſſimus profecto qui ab iſtis pedem nũ-
quam vnicum recedat. Neque dubito quin
iſti, vt nunc pſittacos, aut ſimias, aut canes
in deliciis habere ſolent, breui aſinos ſint
habituri. Quibus quam ſimillimos nunc
habent. quos non alio colore quam ſtupo-
ris, &, quod nihil ſcire eos arbitrentur, cali-
de amplectuntur. Quod fataliter nõ paucis
ex antiquis quoque placuit Principibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Vt omittam eos, quos libidinis ac fœdæ voluptatis cauſa, coluiſſe nomen illud atq; impoſuiſſe ſuis, a ſcriptoribus notatur. Qualis olim Onos ille *a* Commodi: qualis exſecrandus Marci Verotraſinus: qualis & alterius Onobelos. Quales, quos matronis in deliciis fuiſſe ſcimus. Vnde illud,

b *atq; alium bipedem ſibi quærit aſellum.*

Ejus, nempe, membri cauſa, quod in aſino, κορύνη, ſiue, claua, a Nicandro dicitur. Illud enim execrandum, & Mileſio ſermone dignum eſt,

c *mora nulla per ipſam*
Quo minus impoſito, &c.

Diſſimulare enim quæ ſequuntur malo: licet nihilo fortaſſe magis impudica, quam fabellæ Madaurenſes, quæ ab omnibus teruntur. Sed nec audiendi ſunt inepti quidam, qui dicteriis ac prouerbiolis naturam ejus traduxerunt. Homines haud dubio maligni. Cujus generis ſunt illa quæ de carduo objectant: in quo nihil præter cibum quærit; cum in aliis pleriſque infinita præter vſum ab hominibus ſpectentur. Et, quod aſininum ſuperat ſtuporem, opes quærant vt cuſtodiant ac ſeruent: quarum vſum ad

a *Lamprid. Commodo.* b *Id, Heliogab.* c *Iuvenal. Sat. 9.* d *Id. Sat. 6.*

ad hæredem ſtolidi tranſmittunt. qui ad carduos jam ipſi quoque profecerunt: quos & omnes inter fercula hac tempeſtate apponunt. Tanta leuitas judiciorum eſt aut imbecillitas. Ego quidem certe, cum ex his atque aliis non paucis, quantum aſini exemplo & autoritati, contra noſtrum vel judicium jam ipſi tribuamus vel opinionem, mecum cogito ac verſo, ne ad carduos quæcunque in aſino traducimus paulatim adjungamus, metuo. Nec diſſimile eſt illud, Stramen mauult aſinus quam aurum. Et quid ſi pleriſque noſtrum

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum,

& affixas huic vnico metallo ſpes plerique vltra vſum ſtolidiſſime tranſmittunt? quod in aſinum non cadit. Tale eſt, In vnguento aſinus. Tale eſt, Aſinus ad tibiam. Et.

[a] Ὄνος λύρας ἤκουσε, καὶ σάλπιγγος ὗς.

Quod & Pythagoricos ſenſiſſe volunt, qui expertem omnis harmoniæ factum a natura aſinum dixerunt. Quaſi non inprimis muſicum ſit animal hic noſter. Et quod magis etiam ſtuporẽ aut ineptam æmulationem arguit ac plane euincit, quaſi non, quæ maxime laudantur e clientis noſtri

a *Lyram audiuit aſinus, & tubam ſus.*

oſſibus formentur tibiæ. Quod de eo Plinius, &, qui ſummopere hoc in aſino miratur, *a* ſcriptor Chæronenſis, inter cæteros obſeruat. Vt ex iſta quidem parte, filius Muſarum, aut alumnus, dici mereatur: niſi quis collegam dici malit. Quibus illa (quanquam nihil ſit neceſſe & jam alij id præſtiterint) addantur: Aſinus myſteria circumfert dorſo. Inter apes aſinus, aut, Inter ſimias. Aſinus Ægyptius, Aſinus Myſius, Cumanus, Acharnenſis. Aſino dat oſſa. Aures mouet aſinus. Aſinus perpluitur. *b* Aſinus immittit caput. Lana aſini. Aut Rex aut aſinus. Larua aſini, & Vmbra. Caput aſini quid nitro lauas? Piger vltra aſinum. Narrare aſello fabulam. Gramen aſino & fuſtem. Aſinus leonis pelle indutus. Vultum circumferre aſini. Malo aſino invehitur. Muli quanto præſtant aſinis! Alia fert aſinus & Lacon. cæteraque id genus (nam ineptiarum tædet) quorum paſſim hic meminimus. Quæ vel *c* priſci vel recentiores, cum interpretatione ſingulorum collegerunt. Nam Cephiſodori illud, ſummam animi præſentiam conſtantiamque in calumnijs deſignat:

a Σκώ-

---

a *Plut. in Conuiual.* b ὄνȣ παρέκυψις.
c *Suidas, Heſych. Paræmiographi.*

a Σκώπτει μ'· ἐγὼ δὲ τοῖς λόγοις ὄνος ὕομαι.

Illud autem Flacci, admodum abſurdum equidem, ne dolo dicam, atque ineptum, mihi ſemper viſum eſt,

b *vt ſi quis aſellum*
In campis doceat parentem currere fræno.

Quaſi libertatis nota frænum ſit in equo, aut de generoſitate quicquam aſini diſcedat, quia ſeruitutem non admittit. Et hæc ille. qui ex fide atque Annalibus Æſopi (niſi quod Steſichoro hoc *c* Ariſtoteles aſſcribit) ſummam in equino genere imbelliam traducit. qui a *d* ceruo, animali timidiſſimo, communi gramine olim pulſi, manum ſimul hominis & frænum admiſerunt. Quid quod Hebræorum princeps ſapientum, flagrum equo, frænum aſino aſſcribit? Credo, quod in Oriente equi vulgo inſolentiam pertæſi, aſinum frænarent. e *Sicut flagrum equo, ita frænum,* inquit, *aſino.* Quanquam alii, vt ſæpe alias, ignari huius moris, *d* vocem vnam aliter aut reddunt in hoc loco aut interpretantur. Eius certe generis ſunt alia non pauca.

a *Illudit mihi: ego autem verbis inſtar aſini perpluor.* b *Sat.* 1. *l.* 1. c *Rhet.* 2. d *Horat. Epiſt.* 10. *lib.* 1. e *Prouerb.* 26. 3. *vocem* מתג.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Vt non tam ex vero quam ineptis factionibus ac præiudiciis cum aſino experiantur homines. E quibus quædam manifeſte a pueris ad viros defluxerunt. qui, ludentes, vt jam *a* pridem a Grammaticis notatum eſt, victores ſuos, Reges, victos contra, Aſinos dicebant. Et ludorum aliquot, in quibus vſitatum illud fuit, genera commemorantur. Ac ne ſolis hic Grammaticis credamus; ecce tibi ipſe in Theæteto Plato: *b* ὁ δ᾽ ἁμαρτὼν, καὶ ὃς ἂν ἀεὶ ἁμαρτάνῃ, καθεδεῖται, ὥσπερ φασὶν οἱ σφαιρίζοντες, ὄνος· ὃς δ᾽ ἂν περιγίνεται, βασιλεὺς ἡμῶν. Vnde & illud, Rex aut Aſinus. Et hæc quidem homines. At ne Diui ſirint, vt humana vnquam voce aſinus vtatur: qui nunc extra vrbem ac Rempublicam Æſopi nunquam loqui ſolet. Quod ſi illi vel ad triduum benignitate Divûm eueniret, quibus (O Dii ipſi!) quam non minus veris quam facetis cauſam ſuam dicteriolis ac jocis vindicaret! quot parœmias, non ſalſas modo, ſed veriſſimas, aut ipſe ad

ferret,

---

a *Pollux. l. 9. c. 1.* b *Qui peccarit autem, & hoc ſemper aget, quod a pueris qui pila ludunt dici ſolet, Aſinus; qui autem vincet, Rex dicetur.*

ferret,aut ab aliis excogitatas,confirmaret! Quam gauderet, cum audiret, Homo homini eſt lupus! quam facete exclamaret, Aurum homini eſt Deus! Quam feſtiue ſubrideret,cũ audiret(nam hac parte magis etiam quã viſu valet)cauſa huius trepidare, angi,anhelare,peierare,ac nihil non audere homines : hujus cauſa, cum marinis fluctibus ac ventis cõtrahi ab ijs ipſis. qui tantopere aquam horret, vt ſi, teſte Plinio, *vel minimus interſit riuus*, pedes tingere imprudenter caueat. Proprio heroibus timore. qui cum omnia contemnant, vndam & naufragium plerunque abhorrent. Vnde Vlyſſes ille vrbicapus, vt a Poẽta principe vocari ſolet,plorat in periculo marino, eiulat,

a Τρὶς μάκαρες Δαναοί

exclamat.Et Æneas, ad eundem fere modum.Animus quippe ingens,qualis eſſe heroum ſolet,cum ex igne conſtet mero, cui nihil æque aduorſum eſt atque humor, nihil æque hic metuit ac mortem: eam dico, quæ vigorem iſtum diluit aut tollit. quod non ſine cauſa fortibus concedit Stagirita. Quam ſe oblectaret,qui videret,quæ in vino ſapientes ipſi gerunt. Quod nonnulli

 inte-

a *Ter beati Danai. Vide Hom. Odyſſ.* 5.

integris culullis hauriunt vt vomant: vomunt, vt mox hauriant. Quidam, ſi vel parce admodum ac pitiſſando bibant, morionibus ſimillimi, judicio ac mente tota cadant. Et hoc tanti iis eſſe, vt Deos *a* autor antiquiſſimus, ad fana hominum derepere ejus cauſa clam exiſtimet. cum noſter, aqua ſimplici ac modica contentus, ſiti, quam natura dictat omnibus, bibendi voluptatem metiatur. Et mittamus iſtos. Quam ſe oblectaret, qui, non ſobriorum modo, ſed doctorum lepidiſſima hoc tempore judicia audiret: quibus nihil ſimile ebrio in mentem venit. Супереſt, ac diu ſuperſit vir præclarus, qui haud ita pridem extitiſſe quendam memorat, qui *b* T. Livium, Romanæ majeſtatis animam ac vitam, cujus ore, quantus olim fuit populus terrarum princeps, adhuc loquitur ac ſpirat, nec Latine ſatis neque pro hiſtorico ſcripſiſſe, in eadem *c* vrbe, quæ cœleſte hoc depoſitum, terrarum orbi dedit, publice pronunciaret. Et ætate eadem extitiſſe ſcimus, qui diuinæ indolis ac primæ valetudinis ſcriptorem, Pub. Ouidium Naſonem, Equitem Romanum, nec poëtam eſſe nec

Latine

a *Varro, Eſt modus matulæ.* b *Vide Laurentij Pignorij Epiſt.* 45. c *Patavina.*

Latine loqui,aliis perſuasũ vellet. De quibus *d* diſertiſſimus ætatis noſtræ autor: vt & alii,quæ fidem prope excedunt. Neque vnum reperiri nouimus, qui inter Græciam deficientem,vegetamque illam ac vigentem,Romam triumphantem, ac collapſam, non diſtinguat. qui vt inter Tullium,Sidonium ac Apuleium,ita inter vim Demoſthenis, & Sophiſtarum myrothecia ac fucum, Plinii eruditionem,& Solini affectationes, nihil intereſſe exiſtimet. Qui jidem, credo, in eadem lance, Sophoclem aut Æſchylum cum neſcio quo Cyro Prodico, caſtiſſimam Homeri ac Heſiodi ſimplicitatem, cum tumore Nonni, *e* poſt Scaligeri, poſt tot clarorum hominum cenſuras,ponere non dubitent. Quibus ſerio videndum, ne quos Nonnomaſtigas nunc vocant, onomaſtigas experiantur. Enimvero, quid in ſingulis autoribus ſequendum,quid vitandum,qui legendi caute, qui ad frugem, quid ſcriptore interſit ſcriptor,ſcire juuentutem decet. Quod docere

d *vide M. Antonij Mureti Orat. 12. tomi 1. Libellum item, De Burdoniana fabula.* e *cujus iudicium de hoc autore Epiſt. 176. inprimis autem 247. ad Claudium Salmaſium vide.*

cere nemo poteſt niſi qui exacte tenet: niſi qui antiquitatis Græcæ ac Romanæ indolem iam penetrat, ac ſæpius victura ſcripſit. Ioſephum quidem memini Scaligerum, quo nemo de autoribus (poëtis autem Græcis vel inprimis, quod milleſimo vix datum) melius ſubtiliuſque judicauit, ſi quos (quod non multis contigit) interius admitteret, atque inter ſuos locum daret, quid de ſingulis ſentiret, candide communicare. inter quos & ille, quem nonnulli putide nunc amant aut tuentur. Qui ſi quem vel pertinacia munitum, vel nullius genij videret,

> *Nullum vltra verbum, aut operam ſumebat inanem,*

quin, vt vellet, ſua vel decreta quiſque vel opinioné calide amplecteretur. Idem, cum de Chriſtianis reſponderet, omnes, qui cum cura, eruditionis cauſa, legerentur, dignos judicabat. Imitationé vero non ex illis, ſed ex antiquiſſimis, formandam. Suam enim cuique laudem eſſe. quam plerique in poëſi neglexiſſent. Niſi quis Tertullianum, qui in cæteris ſententiarum denſitate ac eruditione nemini concedit, P. Maroni anteſtare in poëſi dicat. Elige ergo vtrum, velis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

a *In cataclyſmo enecans pariter cum prole parentes.*

Et,

In cujus manu regnantis cor legibus eſſet.

Aliaque ejuſdem generis. An vero,

b *Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram*
Vertere Mæcenas.

Quamuis autem illa nemo eſt,qui non aut ferat,aut in talibus tantiſq; viris,excuſanda ducat, ne quis tamen parum caute imitando exprimat, peritioribus cauendum. Inprimis autem tumidum ſcribendi genus ac corruptum. quod plerique, niſi moneantur, non agnoſcunt: neque vitant. niſi qui monentur. Monentur autem recte,ſi ambitio,ſi liuor, ſi inprimis obtrectandi ſtudium ac faſtus abſit: quorum cauſas animæ erectæ procul habent. Quod in orbis pila Herculis columnæ olim erant, priſcis illis, qui, non,vt nonnulli hodie,cum ipſo ortu moritura, ſed æterna monumenta ac victura,famæ commendabant,Ariſtotelem fuiſſe,nouimus. Ingenii, ac dicendi quicquid docuit ac ſciuit,metam vltimam, ac judicandi normam. Quem c Naturæ aquilam,

a *Tertulliani verſus.* b *Initium Georg. Virg.*
c *Exercit.194.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

lam, ætatis noſtræ aquila, antiquæ majeſtati ſolus in his par, divinus Cæſar Scaliger exiſtimabat. Cujus hoſtes, veſpertiliones, miluos, coruos, vultures, ac noctuas, exiſtimat. Nobis maximus naturæ partus ac conatus ſemper viſus eſt. In docendo autem tantus, vt nec ipſe Delphicus Apollo, dictione tali ac ſermone vſus ſit. Extitit ætate noſtra, qui *a* dementem diceret ac bardum. Qui divinos viros *f* M. Tullium ac Fabium, vt imperitos, neque artis ſuæ gnaros, publice traduceret. Et miramur, veterem ſcribendi indolem ac genium extingui? Neque deſunt, qui, vt iſta tueantur, Ariſtotelem profanum, ideoque relegandum, ajunt. Magnum vero Baſilium quid ni addunt? præ quo viro, quis non iſtos cimices pronuntiat? Qui Græcorum ſcripta libro toto juventi anxie commendat. Qui dicendi

a imo, *impoſtorem, literatorem plane bardum, Deum amentium, Sophiſtam, tortorem ſtudiorum ac carnificem.* Quæ verba modeſtiſſimi viri Petri Rami ſunt. *f Vide quæ de hoc homine Adrianus Turnebus, mitiſſimi vir animi, & eruditionis ætate ſua princeps, Lutetiæ Philoſophiæ Profeſſor, in Rullianos eius Commentarios ſcripſit.* Quæ judicia quo ſpectent, eruditi notent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

dicendi venuſtatem, ſapientiæ præcepta, ac prudentiam, ex iſtis haurienda præcipit ac ſciſcit. Cur non maximum Gregorium, qui his præ cæteris excelluiſſe Baſilium, Baſilio par commemorat? PORRO QVIRITES. Rabies hæc gliſcit. De exilio antiquæ eruditionis Patres iſti jam conſultant. Medici cauete. Sene veſtro quid jam fiet? Qui ſi pariter cum iſtis abit, quis furorem horum jam ac rabiem curabit? Et jam Paracelſus quidam ſubſeſſorem agit. Quæ judicia ſi noſter (cujus aures magis quam ingenium timendas credo) alibi reſciſcat, dubitamus quin præ iſtis ſummum judicem profiteatur? Addit Plinius, quod admiratione dignum: a *Nec niſi aſſuetos potant fontes, qui ſunt in pecuariis, atque ita vt ſicco tramite potum eant.* Et: *Mirumque dictu, ſitiunt, &, ſi immutentur aquæ, vt bibant cogendæ (aſinæ) exorandæve ſunt.* Quidam credunt, cum e fluuio aut fonte bibit, quod heroicis ingeniis e bile atra euenire ſolet; aliquid imaginoſum pati. Quippe, cum in aqua eminentes illas ſuas ac acutas videt aures, tremere, ac timere, ne ab iis oculi, quos jure amat, ſibi eruantur. Scio hoc ridiculum videri. Mihi tamen contra magis

a *Lib.* 1. *c.*43.

deridiculi videntur, qui in alienas intuentur ſemper ac jocantur, ſuas nunquam vident. Vnde fit, vt paucæ ſint ſocietates aut collegia, in quibus non ſit vnus aliquis qui talis videatur: & quem reliqui, qui ſapere ſe arbitrantur, non cum ſumma voluptate, vt plurimum, traducant. Quod ſi quiſque fontem, acceſſurus alios, conſuleret, vel ſpeculum, aut ſicubi illuſtres æque corporis atque animorum apparerent notæ, faxo pauci eſſent, qui non aliquando verum eſſe ſcirent,

Auriculas aſini quis non habet?

Tum & Midam, cui hoc euênit, Regem potentiſſimum fuiſſe. Quanquam aliter de fonte, in quo contemplatur, ſemper judicaui. Nam quod ſtupet ſubito ac exter natur; admiratione ſui facere id exiſtimo. Qui cum ſemet intuetur, magnam orbis vniuerſi partem videt. niſi eam forte excipias quæ nondum habitatur. Adde, quod in capite eodem, præter omnem expectationem, anademata, tiaras, pileos, ac mitras videt. Quod togatum, palliatum ſe eodem tempore, ac paludatũ videt. *Ne birreta birretiue impoſita,* vt iſti loquuntur, *braccas Ariſtotelis, ac liripipia* præclara barbarorũ ornamenta, hic ac nomina, nunc dicam. Vt omittam, quod ſe laureatum, & cum lauro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

lauro mendicantem videt. Vt omittam, quod eodem die alibi, vt auro omnia vbique nunc concedunt, non ex aſino in equum, ſed ex aſino in equitem, mutatum ſe haud parum admiratur. Quod inprimis illi placet. Neque minus ſane quam ſi Capitolium aſcendat. qui tum, equi, æmuli ac contemptoris ſui, latera & armos, feſtiuiſſime calcaribus invadit, & hoc pro triumpho habet. Quis miretur ergo, ſi cum tot diuerſas ſui facies ac cultus videt, aliquantum linquat animo aut conturbetur? cum & Ino veteres poëtæ, & Actæonem, ad novum & invſitatum cornuum in fluvijs aut fontibus conſpectum, ſtupuiſſe dicant. Neque dubitamus, quin, cum ad ſe redijt, in aurem orbi vniverſo, tot vbique populis, tot vrbibus, clam inſuſurret

ACTÆON EGO SVM. DOMINVM COGNOSCITE VESTRVM.

Sed jam denuo, vt verbum vetus eſt, Ab aſino delapſi ſumus: niſi quod conſtrictum adhuc auribus tenemus. Quam ſe oblectaret idem noſter, cum videret, ſæpe exigui lucelli cauſa bellum ſuſcipi aut pacem! Libertatem quoque, quæ bonorum prima eſt, venalem circumferri! Et, quod omnem ſuperat ſtoliditatem, ſolum hoc parari a ple-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

riſque, non ne egeant, ſed vt poſſideant. Potitos autem, neque habere id quod habent, neque frui eo quod ſunt conſecuti, ſed augere partim id quod poſſidēt, optare partim quod non habent. Vt, id quod tanto opere corraditur, ingratis ſæpenumero relinquant; & plerunque indignis. Nonne, quoties auarum aliquem conſpiceret, qui

a *Cum bulga cœnat, dormit, lauit,*

lepide adjiceret,

omnis in vna
Spes homini bulga eſt. hac deuincta eſt cætera vita. Item,

c *Non hunc Pactolus aureas vndas agens*
Eripiet vnquam e miſeriys.

Nonne in carduis ſecure, ac ſecurius fortaſſe quam Caligula in auro, ſemet ocioſe admodum volutans, ejuſdemque autoris interim verſiculos decantans, longe ſe feliciorem exclamaret,

d *Cui neque jumentum eſt, nec ſeruus, nec comes vllus:*
Bulgam, & quicquid habet nummorum, ſecum habet ipſe.

Nam & purpuras, & ſceptra, & immenſa latifundia cum nummis, hoſtibus relinquit.

Ficus

a *Lucil.* b *Id.* c *Varro Lex Mania.* d *Lucil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Ficus quoq; boletoſque Octavio & Claudio Cæſaribus relinquit. Quos haud multum ſtomacho conferre putat; ſi præſertim ita condiantur. Adde, quod ne conſecrari quidem ambit: quippe qui opinione ſua mavult eſſe aſinus, quam cæterorum Deus. Vt non temere Menander Comicus, feliciorem homine pronuntiarit aſinum. Quia enim huic, inquit,

> κακὸν δι' αὑτὸν οὐδὲν γίνεται·
> Ἃ[a] δ' ἡ φύσις δέδωκεν αὐτῷ, ταῦτ' ἔχει.

Quid dicturum porro arbitramur, ſi in magna ciuitate poſitus, videret, quoſdã, vt Reſpublicas in ciuitate baiulent ac dignitates, nihil nõ moliri. quibus graues ac onuſti, nemini de loco aſinorum more, aut de via cedũt. Tum inprimis, quibus artibus perueniant ad iſta ac illecebris. & hæc quidem cuncta recuſantis ſpecie. Quanta voluptate animi, nonnullos ex ijſdem, qui ciuilem ſibi vindicant ſcientiam, videret. qui, cum cætera contemnant, ac plerunque Criticorum Conjecturas, Obſeruationes, Miſcellanea, ac Varias, non aliter quam puero-

a *Mali nihil, cuius ipſe cauſa eſt, ipſi euenit: Sed quæ illi contulit natura, ea habet.*

rum par atque impar lepide traducant, nihil aliud quam micant ipſi & conjectant: ac ne ſcopum quidem habent, niſi vagum ac incertum. quem leuiſſima res mutat aut conuertit. Ac ſi aliqua vel mors, vt ſolet, vel vt inter Principes, quos bella diſtraxerunt, fœdus interueniat, ſi denique alibi Cupido, non ineptus ille ac cœcus ſtellio, ſed alter quidam, plane oculatus, vnum modo vibret ictum; videas continuo

Ingentes trepidare Titos.

Ac prudẽtes illos, qui futura multo verſant ante ac diſponunt, nihil aliud jam præter notum illud ſcire, NON PVTARAM. Et hos aliquem ex eruditis pædagogum dicere aut ineptum! Nam quod illos laudant ſolos, ſolos admirantur, qui arcana Rerumpublicarum acutiſſime, vt videtur ipſis, excuſſerunt; nullos ſibi minus alienos ab ineptiis videri diceret. Nihil enim quo tueri ſe, aut Principes, aut Optimates, aut Plebs poſſit, ipſis relliquum feciſſe. Ac ne ſuis quidem, quibus operam dediſſe conſtat, cum hæc ſcriberent. Vt omittam, ſæpe, dum prudentiæ affectant laudem, probitatis atque exiſtimationis facere jacturam. Inſtar meretricum. quæ, dum callide obnubunt vultum, neque cuiquam ſe ſpe-

ſe ſpectandas præbent, publice pudorem vulgant. Inter veteres Reſpublicas, de quibus (vt plerunque nunc plebs noſtra de præſenti ſtatu) plebi quam ſimillimus, libenter judicaret; primo omnium Athenienſes, tanquam ſibi non diſſimiles, poſt eos autem Pop. Romanum, miraretur. Inter Reges omnia diuerſa ſentientes, neminem Macedoni Philippo anteferret. a quo omnibus in expugnatione vrbium prælatus eſt. Inter quæ hoc maxime feſtiuum judicaret, quod, dum Græculi conatu magno ac vi bellica certarent aut in dubiis reſponſa peterent, ideoque Delphicum, Mileſium, Iſmenium aut Clarium accederent Appollinem; ſoli huic, qui tum aſinorum tum oraculorum ſolus vſum intelligeret, veniſſe in mentem, quoddam eſſe antiquum, carioſum, obſoletum, prope ignotum, quod Dodonæ olim excidiſſet. Id autem tale eſſe:

a ΔΩΡΑ ΘΕΟΥϹ ΠΕΙΘΕΙ, ΔΩΡ' ΑΙΔΟΙΟΥϹ ΒΑϹΙΛΗΑϹ.

Quo ſic vſus eſt, vt totam Græciam, cum templis omnibus, tripodibus, cortinis, ſacer-

---

a *Dona Deos flectunt, venerandos dona tyrannos.*

cerdotibus, hariolis, atque ipſo tandem præſide oraculorum, manu temperaret. qui Deorum optimus, doctiſſimuſque, credo quod onuſtum auro aſinum in templum admiſiſſet, nulla niſi pro Philippo Græculis oracula reddebat. Quare, vt prudentiſſimos exiſtimaret Reges, non qui equis & armati lente dimicarunt, ſed qui aſinos ſic adornatos clam miſerũnt, ita eos ſapere plus reliquis exiſtimaret ciues, qui ſub Rege callido, vulpinam aſinina, cum neceſſe eſt, tegunt. Multis quoque haud dubio autoribus, a quibus male acceptus aut benigne, par, quod ajunt, pari redderet. Inter quos ſenecioni Phrygio haud parum ſe debere fateretur; qui ad rationis partes ac ſermonis, bruta lepidiſſime vocauit. Multa enim non indigna ſe, ab eo ſibi tribui. Et fabellam inter cæteras extare in eo non inelegantem. Quæ, ni fallor, talis eſt. Flumen aliquando ſale onuſtum tranataſſe aſinum. qui cum forte in aquam liquefacto ſale, ilapſus eſſet, multũ ſuis ſibi humeris de onere detractum, maxima cum voluptate ac gaudio, ſenſiſſe. Quod cum aliquoties, vt miro eſt ingenio, expertus eſſet, ſpongias impoſuiſſe dominum. De quibus cum eodé modo quo de ſale judicaret; iterum conſulto lapſum, vi iniqui oneris depreſſum ac ex tinctum.

tinctũ. Addit ſcriptor *a* Chæronenſis, principem philoſophorum Thalem, æmulatione ingenii, cum aſino certaſſe, atque ab eo victum. quod nunc mulo peſſime tribuitur. Niſi forte Criticorũ id ſocordia euenit, qui ἡμίονος pro ὄνος ediderunt. Quaqua culpa id euênit, minus ei gratum reor, laudes tantas ſic ad alios transferri. Inter veteres Philoſophos, tam Græcos quam Latinos, quamuis pauci ii quidem eſſent, neminem dixiſſe veriora quam Pythagoram profiteretur. Cujus ſæpe impedimenta ſe geſtaſſe cum Euphorbus bellum gereret in Aſia: ejuſdemq; capſas cum Philoſophiam coleret in Magna Græcia. Quanquam autem neq; glorioſus neq; ambitioſus viuat, vt pleriq; hominum qui aliquo nunc inter ſuos loco agunt, meminiſſe tamen, plurimos togatos nunc & infulatos eſſe, quos collegas, ea facie ac forma qua nunc agit, habuiſſet. Illud cum ſtupore de Pythagora in ſcriptis veterum notare memini: cum feris, etiam immanibus, ſermonem habuiſſe; quæ & dicto audientes eſſent. Quale eſt quod de vrſis Iamblichus ac tauris, neq; pauci alii, memoriæ mandarunt. niſi quod nonnulla, magis admiranda, ab agyrtis, plurimis in locis tempe-

a *Plutarch. De ſolert. Animal.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tempeſtate noſtra fieri putantur. Cujus generis eſt illud, quod a quodam lepidiſſime commemorari ſolet. Eueniſſe ſibi, in Italia cum eſſet, vt, cum forte in ſylua quadam ſub extremum Solis abitum, intentus animo ac ſibi, ambularet, quidam hujus ſectæ forte occurreret. Qui cum aſinum prætereuntem ibi compellaret, atque is aures ſumma cum attentione admoueret, addidiſſe ſe cum riſu, qui hæc ſemper contempſiſſet, Nihil ſupereſſe, niſi vt & reſpõderet. quod cum ſumma admiratione ſua aſinum feciſſe. Quem de via cum nonnihil, vt familiares ſolent, ad colloquii ſecretum abduxiſſet, neque id abnuiſſet alter cujus arte loquebatur, plurima de ſe ac aliis quærenti reſpondiſſe. Ac primo quidem, Colbo ſibi nomen eſſe. Tum, præ cæteris, moleſtum id fuiſſe ſemper ſibi, quod cum bruta cætera centeſimo plerunque anno formam induant humanam, ſolos aſinos ſæpiſſime huc cogi. Et ſe quidem aliquando equum, aliquando culicem aut muſcam, ſæpe aſinum, nuperrime & hominem fuiſſe, ac Rhetoricam Talæi apud Belgas docuiſſe. Sæpe in Hiſpania ac Luſitania, frequentius in Gallia egiſſe. Poëtam, medicum, hiſtoricum fuiſſe, ac juris gnarum. Sæpe mercibus negotiiſque rem auxiſſe.

inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

interdum & fregiſſe, vt ſolet. Sæpe ſacra ac profana, ſæpe paces, ſæpe bella cum judicio tractaſſe. Sæpe in fugam totas acies dediſſe. Semel caſtris, quater foro, ſine vllo ſuo vulnere aut ſuorum, conceſſiſſe: non exigua cum creditorum ſtrage. quos exemplo ſuo omnes conturbaſſe. Nunquam autem ſuauius tranquilliuſque quam ſub aſino vixiſſe. Adeo beatum eſſe, nihil ſcire. Neque paucos ſe nouiſſe, qui nunc partim ſupereſſent, partim vltimæ neceſſitati conceſſiſſent, quos arandi aut vehendi ſocios eodem jugo habuiſſet. Quanquam autem properaret, cui jam ſub domino loquendum ac viuendum eſſet, petiiſſe, vt quoſdam, cum in patriam rediret, verbis ſuis compellaret, ac ſalutem adderet. Eſſe & cognatos ſibi quoſdam in hac gente: quorum nomina honoris cauſa prætermitti. Omnes enim bonos, bono gnatos genere, nunc faſtidiri. nomen quoque affinitatis, niſi par ſit dignitas, diſſimulari. Atque hæc ſibi fortiter nunc concoquenda. cui, cum *obiſpo o prelato di Vgleſia* audiret, noti atque ignoti omnes via ac itinere ceſſiſſent. qui tum Belgium, *con todos ſus eſtados y ſennorios*, longiſſime infra cogitationes ſuas collocaret. Fore tamen quoſdam, qui, vt alia nunc agant, non immemores futuri

ſint

ſint, quid proxime fuiſſent. Et hoc ſæpe ab iis prodi. Omnes enim etiam nunc obtrectare eruditis, neque quicquam æſtimare præter opes. Quos mox ſcarabæos omnes aut formicas Indicas futuros. Addidiſſe, etiam magnatibus quibuſdam, aſinus cum eſſet, fatum ſe junxiſſe. Inter eos quendam, paucis annis antequam Præfectum ageret in Belgia, non pauca ſecum onera geſtaſſe in Cantabria. Ad quæ baiulanda peſſimo ſucceſſu ciues liberos mox adegiſſe. e quo bellum graue ac diuturnum apud ſuos natum. Nunc in Rhadamanti regno morionem agere, & inepto faſtu vmbras oblectare. Paulo autem prius quã huc mitteretur ſanguiſugam e maiori genere fuiſſe. Sibi iucundiſſima haud pauca, neque minus præter animi ſententiam ac votum eueniſſe. Ex diuerſo genere viuendi, maximam paraſſe experientiam atque vſum. Multa quoque, ſe aut homine aut aſino, prodigia in terris eueniſſe. Alibi locutos boues, alibi cornutos Satyrorum forma, alibi infantes nullo patre, neque ſemel nulla fronte, nullo corde, natos. Alibi lapidibus aut ſanguine, in pleriſque Eurōpæ locis aliquando totis aſinis pluiſſe. Id ſe quartum aſino, poſt occupatam Cõſtantini vrbem, Græcia euerſa, eueniſſe. Quos diuerſas

poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

poſtea terrarum partes occupaſſe. ac vix ſepiarum ſanguine & doctorum calamis extinctos. Nunc inuſitatam denuo barbariem portendi. Ad ſe atque ad ſuos vbi rediiſſet, ſingulos moneret, vt antiquitatem reuerentius haberent. Scripta quædam plurimis in locis edi, quæ, vt ſubito naſcuntur, ita macie & tuſſi ante obitum extingui. Hæc prodigia ante omnia vt procurarent. Eam pœnam læſo Ariſtoteli perſolui, qui tot veteres philoſophos, inprimis Pythagoricos, tot priſci genii ſcriptores, cum judicio tractaſſet, aut in vſum conuertiſſet. Se quoque olim pro hac noua hæreſi ſtetiſſe. nunc poſt plurima, quæ, ejus cauſa, diſputando coram Æaco conuictus, pertuliſſet, quanquam ſerius, ad ſanam mentem rediiſſe. Sectæ Principem, ingenioſum quidem, vt nonnulli volunt, ſed ambitioſum ac *a* maledicum, nunc in Minois regno, ſceletorum vertebras, fidiculis, vt inter ſeſe hæreant, aptare, aut *b* διχοτομίας profiteri. Quas cum ordine diſpoſuit ac collocauit, ne quid trinum intercurrat, vanno ventilare ad Solem. Sic a Zephyris in terras rurſum, tan-

a *Vide ſupra, vbi maledicentiæ exempla habes.* b Binarias diuiſiones.

quam paleas, diſpergi. Quas deinde Terra mater, anus jam decrepita ac morbis fracta, cum torminibus aut coli doloribus tentatur, per poſteriora clam emittit. Ita abeunt aut redeunt, & vmbras, etiam in terris paſcunt: vbi genium & veterem ſcribendi rationem frangunt, aut eneruant. Viueret valeret. plura ſibi haud permiſſum. Sciret veriora neminem e priſcis quam Pythagoram dixiſſe. ipſum paulo poſt clientem viri nobilis in patria, deinde ranam in Britannia, mox ſimium in Africa, ac tandem ſummi Principis lenonem fore in Gallia. Hæc ille. quæ Pythagoræ fortaſſe & Apulei placita confirmant. In reliquis philoſophis, poëtis, hiſtoricis, haud pauca parum commoda de ſe judicia notaret. Et *a* Simonidi haud parum ſuccenſeret: quod, cum mulos aliquando commendaret, nomine aſini diſſimulato, quaſi plus a matre dignitatis ac virtutis traherent, his verbis

b Χαίρετ᾽ ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππω

odam auſpicatus eſt. Quem inſignem fu generis fuiſſe hoſté, inter reliqua & *c* Iam

bi

---

a *Ariſt. Rhet.* 3. b *Gaudete velocium fili equorum.* c *Qui apud Stobæum in fæminarum vituperio leguntur.*

bi, quos de fœminis conſcripſit, ſatis innuunt. In quibus, eam quam ex cinere & aſino conflatam fingit, ad officia domeſtica cogendam, & plerunque, tum voracem tum libidinoſam, teſtatur. E quo ſatis conſtat, auariſſimo poëtæ, (nemo enim neſcit quæ de eo a veteribus commemorantur) aſinum omnino nullum, niſi forte, ex præſcripto Regis Macedonici, onuſtum auro, placuiſſe: qui, vt raro ad poëtas commeare (nam tardiſſime incedunt) ita vniuerſo generi equorum anteferri ſolent. a Extat Palladæ, poëtæ Epigrammatarii, quod multi laudant, non decorum aſino encomium. cujus initium b Ἀντίσπαστον ἐμοί τις ὄνον μακρόθυμον ἔδωκε. quod ibidem videatur. Et nos alias pro aſino reſpondimus. cui locum alibi, ne nunc diffuſiores ſimus, aſſignandum duximus. Tum, vt Græca, minus grata noſtro, parcius hic inſerantur. Aliquanto tamen, niſi fallor, acrius, nec ſine graui cauſa, nouos Sacræ paginæ interpretes taxaret. Qui cum plurimis in locis, *pullum aſini*, legiſſent,

a *Lib. Anthol. Epig. 2. Tit.* εἰς Δῶρα.
b *Refractarium mihi quidam dedit, lentum aſinum.*

nihil præter *pulli* nomen expreſſerunt. Quod non aliud quam factionem eſſe. Ita pertinaciter hoc agi. Ac ſe quidem tam anguſti animi non eſſe, vt in fide interpretum fortunas ſuas aut ingentem animum fundatum eſſe credat, ideoque ineptiis eorum moueatur: cauſam tamen non videre, cur aut ſui eos pudeat, aut vocem fugiant quæ toties in Sacris memoratur. Et quid cauſæ eſſe, cur, cum *a* filios Laïri, viri celeberrimi, triginta numero, triginta aſinorum pullis vehi, dixit Scriptor Sacer, nihil præter pullos ponant? cum prope infiniti ſimiles reperiantur loci, & ad eum ipſum, pridem ejus gentis annotauerint *b* Doctores, aſinis, aut potius, aſellis, ſolos proceres in Oriente ac magnates, vehi ſolitos: qui ſic dignitatem publice vel cenſum oſtentare credebantur. Quare, cum in magno illo ac ſublimi Hymno, *c* animoſa heroina, quæ in Iſraële jus tum dixit, principes affatur, qui in bellum aſinis vehuntur, *d* mulos quidam ſuppoſuerint pro aſinis. Quæ lubido immutandi,

a *Iud.* 10. 4. b *Inprimis Rab. Dauid. ad* 10. *Iud. v.* 4. *&* 12. *v.* 14. c *Debora. Iud.* 5. 10. d *quo loco vetus verſio* ſuper aſinos nitentes. *Græci,* ἐπὶ ὑποζυγίων λαμπινῶν.

tandi, ſi in Sacris cœperit graſſari, nihil cauſæ eſſe, cur non loco aſini, camelos, pardos, boues, quoduis denique animal, in poſterum legamus. Enim vero hujus factionis ne immunes quidem eſſe Græcos. quanquam id hominibus indoctis aſſcribendum, quos interpretationem illam, vere inæſtimabilem theſaurum, corrupiſſe conſtat. Qui in eo loco, vt Hebræi ac Ioſephus obſeruarunt, *a* vbi Moſes, populi improbitate ac rebellione victus, tanta fide ac corruptelæ odio egiſſe ſe cum populo teſtatur, vt ne vnum quidem aſinum acceperit, ne cauillationi locus eſſet, aut Rex Ptolomæus, cujus cauſa Sacram paginam ſuſceperant interpretandam, aliud quid accepiſſe, (ita enim referunt) exiſtimaret, *b* ἐπιθυμήματα ſubſtituerunt. quemadmodum in aliis pro, *aſinorum pullis*, *mulos*, vbi viſum eſt, in aliis, pro *aſino*, quod magis eſt indignum, *c bouem* poſuerunt. Ita ſe ludificari. Atque hoc emendari velle. ne cum boue ſemper ſibi ſit negocium: quem jungi aut præponi de compacto ſibi, pridem factum eſſe cum aduertit. Cum non

 videat,

a *Num.* 16. 15. b *rem deſiderabilem. quaſi* חמוד *cum quarta litera ſcriptum eſſet.* c *Eſ.* 30. 24.

videat, ab eo quicquam ad commoditatem hominum conferri, quod non a ſe melius præſtari poſſit. Idem dicteriola nonnulla ac prouerbia teſtari. Qualis eſt adagio, Ab aſinis ad boues. Et, Qui bouem nequit, agat aſinum. Quin pleroſque tam infeſtos ſibi, vt e Sacris lubentiſſime ſe premant: ſi quid ibi lateat, rimentur ac in luce ponant. cum contemptus aſinorum, velint nolint, noua, ac præſertim, quod jam ſæpius probauimus, ignota Orienti res ſit. Neque cauſæ quicquam eſſe, cur in Sacris eum locum aſino aduerſum eſſe credant, vbi, Boue pariter & aſino *a* non eſſe arandum, dicitur. De quo, vt diuerſa alii atque alii, ita nihil aliud, quam, bouem boui, *b* aſinum jungendum aſino, ne inæquales conjungantur, legiſlator monet: vt Hebræi optime interpretantur. Cui ſimile eſt, A boue ad aſinum: quod ibidem aliquoties occurrit. e proprietate linguæ, in qua nihil bouis dignitati additur, neque aliud quam duo quæ diuerſa ſunt junguntur. vt ſi quis, A malo ad bonum dicat. Tanto boum

a *Deut.* 22. *v.* 10. b *Iſidor. In boue & aſino arat, qui recipit Euangelium: cum Iudæorum obſeruantia. Lyran. Quod ſapiens & fatuus, in opere prædicationis non ſunt combinandi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

boum ſtudio pleroſque efferri, quibus ſine cauſa aſinum poſtponunt. Quo & illud refer, quod nonnulli, Aleph, ea cauſa principem in Alphabeto Hebræorum literam exiſtiment, quod primum in armento locum taurus obtinet, quem iſta voce deſignari volunt. Quaſi nuſquam primum aſinus obtineat. Qui ſi eſt plerunque primus, &, quemadmodum aſtrologos ſideribus in cœlo, ita literis Grammaticorum antiquiſſimos in Oriente, ab animalibus notiſque rebus nomina impoſuiſſe conſtat, quid obſtare quiſquam amplius cauſetur, quin, quod Aleph, Beth, nunc vulgus Hebræorum dicit, proximis Calendis Ianuariis, (quo die magiſtratum Romæ conſules inire ſolent) Athon, Beth dicamus. Hunc honorem gratum ſibi, ait, & ad poſteros decorum fore. Quod facilius ab eruditis impetratum iri, quia, Atha, Syris notam, ſiue literam, deſignat. Quomodo ex voce Athon, quæ Hebræis aſinam deſignat, ſi ſine aſpiratione inuertas, fiet *Nota*, id eſt, litera. Quæ *a* Rabbini magno ſtudio ſe-

a *Adeo vt ea ratione voces peregrinas, vſus ſuas faciant. Ita* נמל *quod deſignat illis portum, ſi inuertas, Græcum* λιμὴν *inuenies. quod, hoc ipſum notat.*

ctantur. Adde, quod eandem poteſtatem in Grammatica ac numeris, quam hactenus obtinuit, hæc litera habebit. neque quicquam,aut de Cabalæ autoritate, aut de *a* tempore, quod orbi ex hac litera Doctores præfixerunt, ideo diſcedit. Et feſtiuæ obſeruationis nota erit Aſinus. Quod ad Græcos autem, minimum referre, a boue an ab aſino incipiendum credant, qui, cum omnes præ ſe aſinos exiſtiment aut boues, ipſi in re ſua tam ſecuri ſunt ac imperiti, vt ne literarum quidem,quibus ſua efferunt ac ſcribunt,voces hactenus intelligant. Ideoque, vt Alphabetum ſuum diſcant, non tam ad aruſpices & Hetruſcorum, quod Romani ſolent, Principes, quam ad Chaldæos abducendos eſſe. Quorum,ſine vllo fœnore atque vſura, tot jam annos vocibus vtuntur. Vnicam difficultatem ſupereſſe. Exorandos per legatos,proceres Grammaticorum,qui hac forma

א

bouem exprimi contendunt. In qua bini pedes,

a *Nam cum Aleph millenarii ſit nota, volunt Cabaliſtæ, orbem poſt ſex mille demum annos periturum, quia ſexies in primo Geneſeos verſu, vbi de creatione cæli agitur & terræ, ea litera occurrit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

pedes, binæ extant aures: fere vt in aſellis, quos non ſemel bipedes hic diximus. Quæ ſi tollas, nihil præter partem aſcendentis per obliquum lineæ reſtabit: ipſum bouis corpus, vt videtur iſtis. Quod haud illubenter his magiſtris relinquemus. ea lege, vt, ſiue aſſum ſiue elixum malint, ſolos ad hoc epulum collegas ſuos vocent. Nobis quidem certe, nihil cum hoc boue. qui ad cœnam, famem integram adferre malumus, nec ſuperficies aut lineas prandemus. Qui ne verum quidem arbitramur, Cadmo, *a* quod tantopere a quibuſdam celebratur, primo olim occurriſſe bouem: cum ſimilius credamus vero, aſinum fuiſſe. Notum enim in Bœotia hoc euenisse, in qua plures aſinos fuiſſe conſtat. Vnde Sus Bœotia, Auris Bœotia, aliaque id genus, a ſtupore. Quem vt noſtra tempeſtate vulgo aſinis, ſic olim bubus ac ſuillo pecori objectam, nemo neſcit. Vnde & hæſiſſe nomen loco. Quem, cum ſyluis omnibus ac montibus, Apollini ac Muſis, ij ipſi conſecrarunt. Vt ignari quoque aſinos extollant, quibus tantos præſides ac inſpectores addiderunt. Illud quo-

a *Vide Muthologos. Ouid lib.3. Metamor. alios.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quoque monent, Cadmum ſimulac in Græciam veniſſet, nomen ac religionem Palladis Oncææ, cujus Nonnus, Æſchylus, Pauſanias, Heſychius, ac alii non pauci meminerunt, & a qua Oncææ Thebanorum portæ poſtea ſunt dictæ, ſecum attuliſſe. Quæ non, vt plerique exiſtimant, a bouis, ſed a voce aſini ſic dicta. Si quidem a *nahac*, quod, vt eruditi obſeruarunt, aſinorum olim apud Pœnos ac Hebræos denotabat vocem, factum *anac*. vnde *anca*, ac deinde, *onca*. Vnde & ὀγκᾶσθαι Græci dicunt aſinum, cum rudit. & Oncæa Pallas: cuius ineptiſſime originem ad boues trahũt. Pudet enim, credo, eos qui ab aſinis primordia ac ortus ſuos deducendos vident. Quod euadere homines feſtivi nulla ratione poſſunt. Nam tenentur. Etiam Virgilio non parum ſuccenſeret, a quo ſemel, nec amice nimis, memoratus eſt. Cujus illud:

a *Sæpe adeo tardi costas agitator aſelli,*
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque reuertens (portat.
Incuſum, aut atræ maſſam picis vrbe re-

Ouidium libenter excuſaret, qui non ſine cauſa dixit,

a *Georg*. I.

Vt rudit a ſcabra a *vilis aſella mola.*

Sciret enim duos aſinos (e quibus alter vilis, ac *aſellus*, de cujus vſu, patientia ac laudibus videndus Columella, alter precioſus dictus eſt) nouiſſe antiquos. Vnde idem Columella:

b *Id ne fiat, degener & vulgaris aſellus admouetur, qui ſollicitet obſequia fœminæ: neque is tamen inire ſinitur. ſed ſi jam eſt equa Veneris patiens, confeſtim, abacto viliore, pretioſo mari jungitur.*

Quorum iſte *multinummus* eleganter a Varrone dictus eſt. *c* Plinio fortaſſe tamen ſuccenſeret, qui viliſſima prunorum, *aſinina* dixit. Magis certe Flacco, cui placuit in cognomento Aſinæ licenter cauillari.

Aſinaque paternum
Cognomen vertas in riſum, & fabula fias.

A quo peteret, vt idem Claudiis, Semproniis, Cornelijs, objiceret. Quorum alii Aſelli, alij Aſelliones, alij poſtremo, hoc eodem, Aſinæ ſunt dicti; omnes nobiliſſimi. Vt idem illuſtriſſimæ Aſiniorum objiceret, familiæ: quæ & Senatores aliquot & Conſulares dedit. *d* Sed & prudentiſſimis ex Oriente populis, qui etiam Sichemi, maximi

mi

a Alii *turpis*. b *Lib. 6. ca. 37.* c *lib. 15. cap. 13.* d *Geneſ. 33.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

mi herois parens, Chamor dictus eſt. Niſi forte his præferret Flaccos,qui & ipſi a deformitate aurium ſic dicti. Nonno multum merito debere fateretur : a quo in re ſeria ac graui, a ταχύγουος honeſte dictus, non ad boues, ſed ad equos,tranſit. Quem qui nimium hic rident aut mirantur, natione Ægyptium fuiſſe non intelligunt. b Vbi tollutarios nonnemo reppe-riri notat, qui ad quadraginta millia itineris eodem die expedire ſolent.quibus nõ diſſimiles Arabia ac Palæſtina habuiſſe creditur. Niſi forte hinnulum pro aſino feſtiuus autor,abuſiue , vt Grammatici loquuntur,vſurpauit. Quod non placet. Ibi igitur tollutim, hic, & lente & ſimpliciſſime,incedit. quem nunc aula *paſſum clericalem* vocat. Ac tunc ſæpius impingit. Et hos quidem omnes celebres ac notos eſſe. Vnum eſſe ignotum , cujus in ſe Epigramma extet (quod famoſis ideo libellis poſſ[...] apponi) cum inſcriptione tali: DE ASINO, QVI ÆNEIDEM DENTIBVS DISCERPSIT.

c *Carminis Iliaci libros conſumpſit aſellus.*
Hoc Troiæ fatum eſt,aut equus aut aſinus.

Quan-

a *velox*. b *Scal. adverſ. Card. Exercit.*217.
c *Vide Catalecta Epigramm.Veterum.*

Quanquam & de argumento dubitari poſſe. Cur enim libri carminis Iliaci, Æneis potius exiſtimanda ſit, quam Ilias? Tum perſuaſum ſibi eſſe, aſellum, de quo ibi agitur, non ſe, ſed ineptum pædagogum eſſe, a quo libri iſti, aut corrupti aut inepte ſint diſcerpti. Sed nec ſcire ſe, cur Troia minus expugnari aſino potuerit quam equo: ſi, vt hic militibus armatis, aſinus ſcutatis aut regalibus onuſtus, vrbem munitiſſimam accedat. Viro maximo Galeno, gratias, & quidem maximas, haberet, a quo non vulgari neque perfunctorio honore celebratus eſt. Nemo enim dubitabit, quin, ſi ſpeciem, quod noſtro tribuit, a genere diſtinguat, etiam definiat ex arte ac diuidat: eademque ratione, nec a Syllogiſmis & eorum fundamento, quod De Omni dicitur, auerſus ſit. Quod ſi recte aſſequatur, fieri non poſſe, quin ab ipſo hic diſſentiat Galeno: qui ab ejus poteſtate ac diſpoſitione, in figura ſua, quam nunc vulgo Quartam dicunt, aut *a* Galenicam, recedat. Sed & cum Grammaticis Græcorum, pro familiaritate mutua nõnihil, credo equidẽ, expoſtularet. quod ſe, copioſi, ſi Dîs placet, illi, ac verborum opulenti, voce eadem cum vxore in-

 cludant,

a ſiue quam Galeno aſſcribunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

cludant. Quam rem & incommodo philoſophis & ignominiæ non paruę ſibi eſſe. Vt cum *a* Ariſtoteles, *b* ὀχεύειν καὶ ὀχεύεσθαι τὸν ὄνον, dixit. crimen flammis vindicandum. Quod ab eo egeſtate linguæ factum. Ideoque melius Romanos, qui diſtincte ſexum notant. tanto ſtudio Grammaticorum, vt non tantum *aſinis*, ſed *aſinabus*, quoque, vt *Deabus*, moneant dicendum. Et Hebræos, Syros, Arabas, Chaldæos, qui, cum nomen habeant commune, fœminæ peculiare ac ſuum addidere. tum &, quod in magna gente fieri conſueuit, ſuo inſuper & ſobolem diſtinguunt. Optime hos quidem: illos autem negligenter. Tanta autem iſtos quidem erga fœtum aſini aut prolem comitate, vt a *c* vigilando & alacritate mentis nomen impoſuerint. Nuſquam tamen Græcos magis de penuria ac paupertate linguæ conueniret, quam in ſuo nomine ac illius vſu. quod ad alia prope infinita tranſtulerunt: & diuerſa quidem maxima ex parte aut diſtincta.

Nam

---

a *Lib. Hiſtor. Animal. 6. cap. 23.* b *inire & iniri aſinum.* c *Volunt enim* עיר *quod pullum aſini deſignat, ab* עור, *dici, quod eſt vigilare, quod excitati ſit animi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Nam & ſtellas duas geminas in cœlo, & in mari piſcem,& in regno Rhadamanti, neſcio quem aſinum, in terra quoque, inter cætera, porcellionem, animalculum, quod curionem & multipedam Latini dicunt, fuſum item , & axiculum,ſeu ſuculam , & funes quoſdam,& fabrilem ſerram, tum & vaſis quoddam, genus, & peculiare inſtrumentum medicorum principi , in teſſerarum autem ludo vnionem , ac poſtremo etiam inferiorem molæ lapidem (qui Hamor quoque, ſiue Chamor , ab Hebræis, quod eſt aſinus) eadem voce dici. Ac ſi nomen illis aliquando ſuum , (vnumquemque enim dominum ſuarum rerum eſſe) ſubito ereptum iret; multa fore quæ vocabulo cum ignominia præclaræ gentis deſtituerentur.cum vnius ſuum, cœlo, mari, terræ,inferis,atque omnibus humanis jam aptarint. Et hos quidem tam de ſuo prodigos aut,vt nunc melius de iis ominemur liberales eſſe,cum de ſexu ſequiore in gente ſua nunquam cogitarint. Magno ac intolerabili errore. Eſſe enim ſuas ſibi,eſſe vxori ſuæ,quod ignoret nemo, certas & peculiares animi ac corporis virtutes. Quas vel vitio vel egeſtate linguæ neutiquam miſcendas. Has matronas eſſe , quæ labore viris nihil cedant. quarum lac , tum in de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

liciјs,tum inter prima faciei medicamina fuiſſe olim , ſatis notum. Vt nonnullas ex Romanis, ſeptingentas aluiſſe, autor ſit non vnus : quas & ideo Poppæa, reliquis comitibus haud fruſtra prætuliſſe creditur. Quanquam, qua vrbanitate ſunt, vt inter ipſos quoque homines matronæ, par plerunque pari viris referunt aut reddunt. nam vt ipſi e complexibus equarum mulos,ita illæ ex equorum, hinnos ac burdones edunt. Multum tamen Græcis ſe debere,& hoc candide fateri. Qui cum ſingulos Deorum tanto pluris æſtimarunt, quanto pluribus nominibus in ſacris colerentur,quod non ſine cauſa, in Dianæ & Apollinis elogio *a* Battiades teſtatur, idem ſibi eueniſſe. Ab vtilitate enim ὄνον, ab officio ἀστράβην, ab ætate & labore plurimo τορύνην, a virtute μέμνονα, a colore πελίαν & λέπαργον, a libidine atque vſu ejus μυχλὸν, ab ejuſdem impotentia νωθουρὸν, ab inſigni magnitudine κανθήλιον, κάνθωνα ac βούπαλον, a voce ὀγκηστὴν & βρωμήεντα, a vectura onerum, νωτέα,

a *Callimach. Hymno Apollin. & Diana.*

νωτέα, νωτοφόρον, σκευοφόρον, tum a dentibus, ἀμφώδοντα, vocari. Eundem δάλεσον Cretenſibus, κιλλὸν Dorienſibus, μαλλὸν Phocenſibus, βερικὸν Cyrenenſibus, γάδαρο Græcorum vulgo, mutuata a Chaldæis voce; ἀνεμώτην denique, a ſacrificandi more, Tarentinis dictum. Quæ Grammatici antiqui, & ex ijs quidam hac ætate, collegerunt. Quos non compilamus, & ſi quando eadem dicenda ſunt, inuentis addimus. Multa quoque haud dubio doceret, multa diſceret, ac ſcire ex eruditis vellet. Ex amœnioribus Theologis, qui Græcos Hebræoſque interpretes legerunt, explicari ſibi vellet, non argutam quæſtiunculam, & diſputationi promptã, quæ Reſpublicas nonnunquam turbant, ſed vrbanum aliquid & ſui fori. ac fortaſſis, Quale animal Onocentaurus eſſet: qui ex Aquilæ interpretatione Sacram paginam nunc occupat. Aut potius, quod eo exprimendum ſibi crediderunt Græci. Cujus nihil æque ac depictã ex ſententia Interpretum effigiem videre optaret noſter. Cum nonnulli animal quod ibi deſignatur, vlulam, nonnulli felem, quidam ſtrigem, alij cercopithecum, quidam ex Rabbinis, picam, non illepide interpretentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

a Quæ ſi pariter conjungas, vt cum capite vlulæ, ceruicem felis, alas ſtrigis, ita nectas, vt in picæ aut cercopitheci cauda, pars poſtrema terminetur; ſpectrum ſane effeceris mirificum,

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

vere Empuſam puerorum: *b* cui pedes æreos ac aſininos, vt jam dixi, Græculi dederunt. Cuius fere generis. *c* Lilitha Iudæorum. quam *d* huic monſtro quoque aptarunt. Præ quo jam Horatiana tabula, equina ceruix capiti humano juncta, cujus membra plumis auium ſpargantur,

vt

---

a *Vide ineptas Iudæorum vocis* איים *quo cap. 13. v. 22. & cap. 34. v. 14. Eſaias utitur, interpretationes. Quorum alij feles, alij vlulas alij ſtriges, alij cercopithecos eſſe volunt Rabbi Dauid picam expoſuit. quam peregrina, vt illi ſolent, & nunc Gallis vſurpat voce,* agaſſe *vocat. Cum Propheta nihil præte inſulana & ſoliuaga deſignet animalia. qu ſimpliciſsima interpretatio.* b *Vide Suidam d Empuſa & Ariſtoph. interpretes.* c *quam Hebræi* לילית lilith, *Rabbini* lilis *vocant. & de qua mirifica commemorant.* d *Nonnu l enim lilith & iim iungunt: credo quia cap 34. Eſaias ea junxit.*

vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne,
nihil riſu dignum aut inſolitum habebit. Sin ſeorſim, ſtriges, feles, picas, vlulas, cercopithecos diuerſiſſimos mortalium, conjungas; metuendum, ne confligant, aut infeſtis morſibus concurrant. ne quod bellum denique inteſtinum oriatur, cui componendo aſini prudentia ſit opus. qui onocentauro nomen maxima ex parte dedit. Quem ſuperiori parte hominem, inferiori aſinum, plebs credit. contra quam nunc fieri videmus. In plebe enim quæ de eruditis nunc ſententiam pronunciat, ac cenſet, caput ſibi cliens noſter vindicare ſolet. Cujus genii onocentauros ſi quis quærat, plures quam vel culices vel muſcas, cum caletur, inter homines inueniet. Nam Onocentaurum Æliani, quanquam a Pythagora, ſi illi credimus, deſcriptum, vt commentum, facile rejiceret. E Medicis, quid de Galeno ſtatuendum ſit. qui *a* interim lac aſininum ait eſſe tenuiſſimum, *b* cameli interim & equi hac in parte anteponit. Quare item, ſi quis grauiter a ſcorpione ictus, id in au-

---

a *Lib. 6. De ſanit. tuenda.* b *Lib. 3. De aliment. facult.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

rem inſuſurret aſino, ex tempore curetur. quod non pauci celebrant. E conſultis legum, An ſi damnum bipes aſinus intulerit, *a* pauperiem feciſſe exiſtimetur: cum non minus ratio hic ceſſet. Vt ſi paraſitus, ſine corde ac capite, in hominem aut ſtatum publicum incurrat: animal, quod leges hic requirunt; nihil minus ſcilicet quam ferum. cum, egreſſus e culina, nunquam reuertendi animum amittat. Vnde & Venetorum Patres, cum concluſum intra ſepem, atque in Tulliano ſuo, tale animal tenerent, ac jam pœnam multi expectarent, multi carminis horrendi legem præcepiſſent, quanquam læſi, eum tamen, quem prærogatiua major ac naturæ leges tutum ac indemnem præſtant, ſaluum ac intactum dimiſerunt. Norant enim rerum humanarum pariter ac legum, ſi qui hodie, conſulti, Actionem nullo jure in pecudem concedi. E Politicis, Cur priſci, ac præcipue Athenienſes, pietatis inſtrumenta, quibus ſemper Principes vtuntur, bajulanda aſinis committerent. Cujus rei, niſi fallor, cauſa, antiquariorum limites excedit. Neque quicquam Critici, quod ſciam, quanquam ſatis accurati, hac de re ad Ariſtophanem

a *Tit. Si quadrupes paup. fec.*

phanem notarunt. Ex Aſtrologis, quod a Pyrrhoniis jam pridem agitatum, Quare aſinus & homo, ſub eodem nati themate, diuerſam vitæ ſeriem ſequantur: vt alter quidem geſtet onera dum viuit, alter primas, quanquam non diſſimilis, in ciuitate obtineat. Neque paucos tales noui, qui nobiſcum eadem ſcientiarum fundamenta ſub doctoribus iiſdem poſuerunt. E Philoſophis, qui de natura agunt, Quare aſini & equi, *a* ſi recentes ficus bajulent aut mala, fame immodica corripiantur. Quare item, albi ex eorum cicatricibus naſcantur pili. Aut ſi quem acutiora juuant, Cur infantes pellis ejus, metu vacuos, autore Plinio, efficere putetur. *b* Cur plus ſicci item excrementi (nam & illud diſputatur) reddant aſini quam humidi. poſtremo, Cur tenuior vrina aſinarum ſit quam marium. Ex Pythagoricis poſtremo, quid familiæ voluerit præceptor, cum, Ioſepho teſte, locum negat tranſeundum, in quo flexis genibus hoc animal procumbit. niſi forte ſacra quædam fugienda præcipit. Dialecticos fortaſſe in aurem clam moneret, ne in poſterum in rebus frigidis ac nulli

a *Plutarch. Sympoſ. 6. & alibi.* b *Ariſtot, Probl.*

nulli rei, nomen ſuum adhibere pergant. Quemadmodum cum dicunt, Aſinus ſi volat, habet alas. Primo enim, non referre eorum, vtrum alas ipſe, nec ne, geſtet. Quippe ſe & liberum & ſuæ ſpontis. Vitioſam ergo curioſitatem eſſe, quæ philoſophos non decet. Neque minus falſum eſſe, alas ſe habere, quam quod volet Tantum autem ineptiſſimam particulam, qua ſemper fatui vtuntur, apud eos poſſe, vt, quæ vera non ſunt, nexu illo vera fieri exiſtiment. Quaſi, ſi illius loco dicant, Pegaſus ſi volat, alas habet, metuant ne verum ſit volaſſe Pegaſum: aut de homine ſi idem dicant, metuant ne verum ſit, quia Dædalum volaſſe fama tenet; & poëtæ raro mentiuntur. Exemplo vel Homerum eſſe, qui cum maximo heroë ſe conferre non veretur. Hoc certe verum eſſe. Et ad codicem ſe prouocare. Inter quos & Ariſtophanem, feſtiuum hominem a ſe laudari poſſe: qui præclaram vrbem Nephelococcugiam olim condidit. A quo, & auem ſe vocari. non quod hactenus volarit, ſed quod boni ominis plerunque habeatur. De quo ibi lepide nonnulla Græci. Adde quod ſi duo elementa tollas, tertium tranſponas, auis ſit futurus, qui eſt aſinus. ASINVS, ANVS, AVIS. Et ſimilia videri, quæ ad

locum

locum iſtum a Grammaticis notantur. Quia enim ajunt iſti, ΟΝΟC ΩΝ, de Aſino, vt Ο ΝΟΣΩΝ dicitur de ægro, prædixiſſe quendam, cum a lapſu ſeſe recepiſſet aſinus, futurum, vt, qui æger eſſet, conualeſceret ac ſuæ ſpontis eſſet. Quod euentu mox probatum. Quare deſinant nugari: ſeſe enim, cum Grammaticis placebit aut poëtis, auem fore ac volaturum. A quo tamen Icari exemplo adhuc deterreri. Semper enim metuiſſe, ne, vt mare nunc Icarium, ita Aſinarium, vt Via Romæ Aſinaria, vt Porta Aſinaria in Gothicis Procopii, a temeritate ſua alibi extaret. Et fortaſſis Pegaſum fuiſſe aſinum. e cuius fonte quo quis accuratius ac plura bibit, eo magis bajulare onera hac tempeſtate, nec vel hilum promouere. E Grammaticis ac Criticis, non infrunitis illis, qui ex vna Feſti aut Varronis pagina, quam perfunctorie legerunt, ſpiritus aſſumunt, ſed qui bona fide Græca cum Romanis conjunxerunt, Cur in codice Heſychiano, ὄνομα, pro ὄνος, toties legatur. Verum nunc a Græcis ac ſimilibus ineptiis ac tricis, quibus parum noſter capitur, ad ipſum redeamus. In quo multa ſapientiæ veſtigia exhibuit natura. Vt & hic haud paucos bipedum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

pedum excedat. Stoici affectus omnes tollunt. Iſtos autem, quis non dicam ita omnes ſuſtulit, quod multis diſplicet, ſed lenes magis, magis faciles naturæ vnquam debuit, ac noſter? Nam quod ad dolorem, qui cum voluptate omnium eſt parens, nemo hunc aut fert conſtantius aut acriore ſpernit animo; Vt nonnunquam fuſte partim, partim onere immenſo fractus ac exulceratus, nihilominus aut edat aliquid in via, aut ſecurus ambulet: magnus celeberrimi illius Paradoxi ex eadem ſchola confirmator, SAPIENTEM, QVANVIS IN TORMENTIS, ESSE BEATISSIMVM. Illud vero, NIHIL ADMIRARI, quis conſtantius tuetur, aut quis magis omnia ſecurus atque immotus præterit, quam noſter? Quem non tabulæ ex arte pictæ, non vllius dicti elegantia aut facti, nulla aut orationis grauitas aut carminis majeſtas, aut ingenii ſublimitas, vel mouet vel impellit. Quanquam in hoc multos hodie collegas habet. Negant opinari ſapientem. Nunquam opinatur aſinus. tum autem minime, cum vapulat. Sed & bajulare, vapulare, ac impelli, quod eſt primum vtiliſſimumque e porticu præceptum, ex eorum genere ſcit eſſe, quæ in poteſtate noſtra non ſunt poſita. Ideoque,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

non ferenda tantum ſed & perferenda. Niſi quod, ſi perturbationum moderamen, & de his opinionem, ſpectes, aliquanto propius ad Ariſtotelem accedit. qui nonnullas, vel materiam virtutis eſſe exiſtimat, vel anſam. Ideoque dirigendas ad virtutem potius quam recidendas. Nonnullas quoq; bonas per ſe eſſe ac naturales. qualis liberorum amor. Quem tam generoſum eſſe in noſtro ferunt, vt in igne medio deprenſos tollat. Nam de ira, notum ſane quæ a Stoicis tradantur: notum, quis quantuſque ſit hic noſter. Fortis, nempe, quantum eſt neceſſe. In familiari autem conſuetudine, vt lenis ſemper, ita ſemper ſui ſimilis. Vt nonnunquam mirer eos, quibus publice affectus ille haud raro nocet, præceptore alio quam aſino hic vti. Quem iratum nemo vidit, nemo ſenſit vnquam. In vrbe quidem Roma, patrum tempore, aulicos fuiſſe ſcimus, qui collegia ac ſcholas inſtituerent: in quibus mutuo ſe probris ac infamia notarent. Ea lege, vt qui pronior in iram eſſet, mulcta culpam expiaret. Quod vt recte illi, & ad vſum (nihil enim majus eſt ac difficilius quam perturbationes animi ac primos coërcere motus, quibus magni ſæpe proceres ſuccumbunt) ita nondum video, quo aſinum excedant; cui hanc

prærogatiuam virtus & natúra indulſe-runt. Ad eundem præceptorem & Sophiſtas cujuſcunque ſectæ relegari velim: quorum diras, probra ac calumnias, modeſti omnes, etiam ex ipſis, deteſtantur. A quibus qui leuiſſime diſſentit, quanuis omni commendatione ac reprehenſione major, nulla ratione euadit, quin ſcortator, ebrioſus, ſcurra, nulli rei, & inprimis, quanquam longe doctior, Theologiæ imperitus audiat: aut, quod æmulis nunc placet, olim omnis eruditionis, nomen fuit habitū, Grammaticus dicatur. Quaſi ars ingenua aut pars cœleſtis diſciplinæ ſit, conuitiari: aut in alios infamia hæc vertat quam in ipſos. aut poſtremo, quaſi non qui ſit Grammaticus, hoc ipſo major ſit Theologus: qui autem non Grammaticus, iam ad clientem noſtrum proxime accedat. Ad eundem & e Criticis nonnullos: qui, dum frontibus aduerſis, vt arietes, concurrunt, dum ſe ipſi mutuis collidunt ictibus ac plagis, nihil præter aures, quas Satyricus deſcripſit,

a *Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,*

& quæ digitis formantur, hoc eſt aſininas, a le-

a *Perſ. Sat.* 1.

a lectore ſuo conſequuntur. Plebi autem, quæ ex æquo eruditos odit, voluptatem ac triumphum de ſe parant. Siue autem cum inferiori certant;

a *Nulla eſt gloria præterire aſellos.*

Siue cum ſuperior; fama & exiſtimatione exuuntur. Exempla nec antiqua nec recentiora deſunt. Adnotarunt ſeniores, quibus noſtra cum antiquis comparare vacat, duos Titios fuiſſe: quorum alter telis ab Apolline confixus, nouem terræ jugera amator occupauit: alter, cum pleriſque eruditis ſine lege ac modo detraxiſſet, ſcripto breui, ſed victuro, tanquam fulmine ictus, tam anguſte jacuit, vt niſi a tribulibus clientis noſtri in eundem ordinem receptus eſſet, nuſquam locum jam haberet. Tantum genius eruditorum poteſt, quem cum malo ſuo qui irritat, experitur. Ante annos aliquot Lutetiæ Pariſiorum, more quaſi jam receptum erat, vt qui primum e collegiis ad Academiam euocarentur, ſi quæ ſcripta noua ac illuſtria prodirent, ea publice traducerent. Vt in aliis ſupinam juris ignorantiam, in aliis vel Græcæ vel Latinæ linguæ, vel antiquitatis, imperitiam, vel oſcitationes, (quæ vox illis ſem-

a *Mart. lib. 2. ep. 36.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

per placuit,notarent. Aliorum emendatio-nes,aliorum coniecturæ, aliorum tranſpo-ſitiones,etiam diuinæ,dicteriolo argueban-tur. Hanc certiſſimam breuiſſimamque ad immortalitatem viam, aliquot cercopithe-ci inveniſſe ſibi videbantur. quorum nemo caudam ſe habere ſenſit, quam cum riſu o-mnes publico trahebant. Qui tum hoc age-bant, vt columnis quoque ac parietibus, qui ſemper,quanquam non vocati,adſunt, nænias narrarent. Et iam eo res perducta erat,vt ad nomina ſummorum hominum plerique faſtidirent. Nam quid illis ageres, qui ipſi rudes eſſent,& libenter agaſoné ſe-querentur, qui quotidie, *Cujacius inſanit, Aduerſaria nugatur, Scaliger delirat, Scali ger Lucanomaſtix eſt, ineptit Caſaubonus, fu-rit Lipſius*, atq; alia ſimillima, audirent, Ac-cedebat ſingularis in dicendo elegantia ac lepos. Accedebat opere muſiuo teſſellatus ac diſtinctus ſermo. In quo Gallicæ aut Græcæ, ſæpius Latinæ eminerent voces; conclamatæ pridem omnes ac ſepultæ: quarum vſus ac interpretatio a Saliis pe-tenda erat. Vt cum vina vetera ac noua in eodem iuſculo confundit cocus. Quæ mi-rifice adoleſcentibus placere. vt eodem modo domi ſcriberent ac iudicarent. Ipſe magiſtellus, paucos ante annos factionis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

princeps, fruſtum hominis non homo, erat: bipedalis moduli, ac ſimiæ compendium. Libonis peditum, feſtiuiores nuncupabant. Qui in publicum rariſſime prodibat: cum a primo ſole ad multam noctem, niſi cum docendum eſſet, inter tineas ac blattas, ipſe famæ alienæ tinea ac blatta, deſidebat. Ac ſi quando prodeundum eſſet, ne quid non gentile in vſum adhiberet, mula vehebatur: cũ qua meditationes ſuas vehens, candidiſſime communicabat. (Hanc filiolam, parente aſino prognatam, adoptarat.) Aut, ſi pedes, ipſe ineptior quam vllus quadrupes, ad Academiam mearet, cœno ac colluvie heſterna, quæ in vrbe Pariſina facile a togatis comparatur, totus delibutus ac perfuſus, totus ſitu ſqualens ac veterno, vocibus ſimillimus quas ſemper vſurpabat, e gurguſtio ac chartis ſuis mane,

Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vnda,

pedetentim erepebat. Inceſſus vetulæ cornicis erat,

Quæ ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena:

ſæpe concitatus, ſæpe grauis ac ſedatus. Sæpe pedem alterum, vt Pelion ac Oſſam ſimul conſcenſurus, meditationibus intentus, attollebat. Palliolum, depexum ac detritum, vt in vitioſa lance, in alteram ple-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

rumque partem propendebat. Togula, quam coætaneam habebat, cujus epocham ad tempora Trojani belli homines feſtiui referebant, cum ex ea lutum, e quo natus ipſe pædagogus erat, elui non poſſet, ita ſenſim decurtata erat, vt poſteriora analytica ac locos mimice incedentis magiſtelli exhiberet. Vultus rugis ante annos exaratus, ſimiam in partu laborantem, aut quæ prurientem anum altera ſolatur, ad exemplar referebat. In congreſſu hominum pulcherrima hæc ſtatua cum verſaretur; veſpertilionem Indicum, aut peregrinam noctuam, dixiſſes. cum ad omnia quæ fierent aut dicerentur, caligaret; omnia mirari ac ſtupere ſolitus. Et plerunque aliena loquebatur. Abſens enim animus præſentis, inter obſeruatiunculas ac ſchedas ſuas domi oberrabat. Vt nonnunquam, cum de Rege aut expugnatione vrbis ſermo eſſet, de ancilla ſua, aut vicini tigno, aut Lucretii ætate, reſponderet. Erat illi domi inter cætera antiquitatis monumenta, anus vetula vetuſta, pridie quam Codrus nata: pedibus contracta, luſca, naſo eminenti ac adunco, ore ad crocodili vſque rictum ſparſo ac diducto: raro admodum capillo. Dentes poſt diuturnam tuſſim, tres ſuperſtites habebat. Cum hac lectione antiqua,

Sub:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Subtilis veterum judex,

ſine vllo, vt in cæteris, riuali, longis meditationibus defeſſus , ſuauiter meridiari ferebatur. niſi quod, ad rem cum ventum eſſet, ad Draconis caudam Sol hæreret. Et juventam aliis amoribus fœdaſſe dicebatur. etiam tum ſpurcus verbis, & obſcœni oris: quod poſt cætera non paucis hæret. Vt vbique miles paratiſſimus ſine armis eſſet. Vix tribunal ſuum pede altero contigerat, cum omnes omnia neſcire apud ſuos quereretur. qui jam nullum de ſe alium præberet vſum, niſi quod non paucos ſui ſimiles, vt admiſſarius, quotidie progigneret. E conſilio quorundam , quales ea vrbs eximios ſummoſque ſemper viros habet, medicis commiſſa res eſt. Qui vocati cum chirurgis, primo id dederunt operam , vt aures, quas plerique ad formam aſini contraxerant , nonnihil forcipe ſecarent. Oculis collyria , emeticum languenti ſtomacho ex arte adhiberi cæptum. Pleriſque aluus validiſſime dejecta aut rommota eſt. Ita ad recentiorum veterumque ſcripta , plena genii ac vitæ, valitudinarij dimittebantur. Quo effectum, vt, qui ante, quicquid ſtolidæ Sirenes iſtæ, ac nutriculæ Grammaticorum, jam præmanſum ori indidiſſent, lubentiſſime admitterent , totum au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ditorium cum magiſtello, vomitu ac alui obſequentis beneficio implerent.

Hei mihi, qualis erat!

Narro tibi, frater, tota rerum facies cõverti cœpit. Alij indignatione aut riſu emoriri: alij ineptias, dicteria, ac geſtus, hæſitantis aut geſticulantis, per ludibrium referre. Quidam ſcena quoque & lepidiſſimis exodiis paulatim emanere. Vt jam ipſe pecudum magiſter, in theatro vacuo

Formoſum paſtor,

coram tribus quatuorue prætextatis, ocioſe, ſed cum indignatione, caneret. Priuatim autem merces hiſtrioniæ ac lucar, ſtrictius perſoluebatur. Neque deerant jam graues viri, qui

Delicias domini,

Doctoris ſtipendiolum, nonnihil minuendum judicarent.

Nec quid ſperaret habebat.

niſi quod feneſtris ac ſubſellijs hiſtorias narraret.

ibi hæc incondita ſolus,

quanuis ſæpius reſpiceret, ſæpe infrequentiam ſuorum accuſaret,

ſtudio jactabat inani.

Atqui hæc non raro tempeſtate noſtra eruditis præmia laborum ac vigiliarum perſoluuntur. Quibus nemo, præter aſinos,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aut aſinorum ſimiles,immunis eſt.Fœdum autem ac indignum homine eleganti, vellicare eos, qui & optime de omnibus merentur, & a quibus neque dicto læſus ſis nec facto.cum priuatæ reprehenſioni aut monitioni ſemper detur locus. Quam qui reſpuit, contemptu aut opprobrijs jam dignus eſto.Sed anguſtæ mentis ac obſcœnũ animal, moroſus pædagogus eſt. præ quo omnis aſinus ac ſimius vir bonus eſt. Quãquam autem pulchras animi erecti cogitationes interrumpunt tales potius quam lædunt, raro id impune habent. Quomodo pediculos aut pulices nonnunquam deteſtamur. Qui,cum aliquamdiu ſomnum aut quietem dormitantium turbarunt, deprehenſi ſolo pollice necantur. Quibus cliens noſter diſſimillimus, contentiones omnes, maledicta omnia, ac ſimultates,etiam ſcholaſticas,ignorat. Credo,quia optime de alijs, nec ſecus quam de ſe exiſtimat. Ac profecto, me quod attinet, nihil eſt quod minus optem, ſi occaſio ſic ferat, quam cum aſino committi. Neque enim modice timerem, ne plerique nouitatis ſtudio ac voluptate, cujus auidiſſimi mortalium ſunt animi,poſthabito patrono, ad clientem ſe conferrent. cujus ſola vmbra, ſola vmbræ mentio,inſigne,quod ſtupenda

ac di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ac diuina illa eloquentia non poſſet, auditorium Demoſtheni conciliauit. Eſſent tamen, qui continuo conferrent capita ac aures, qui miſellum clam morderent, qui, non vernam equitem, ſed peregrinum eſſe, dicerent. Nam hoc tempore ita viuitur. Exterior incedat an interior, ne hilum quidem intereſſe cenſet. Locum ſuum fortiter tuetur: alienum & priorem, non affectat. Quæ ineptiæ nonnunquam ſummis rebus interueniunt, ac publica morantur. Hæreſes nec ſequitur nec ſpargit. Pacem non commendat alijs, ſed ipſe colit. Nulli libertatem ſuam, quanquam ſeruit, nulli ſuam inuidet felicitatem, quanquam miſer. contra quam hominibus ſollenne eſt. Apud quos, vt auis aui capitur, & hoc officium aucupibus libenter præſtant quæ jam captæ ſunt; ita ſunt, qui, poſtquam ſemel libertate exuti, manum pati didicerũt alienæ libentiſſime inſidiantur. Adeo pleroſq; in ſeruitute nihil tam delectat quam cum alijs ſeruire. Quæ cum ſemper ſit ignauia abiecti animi, obſequium tum dicitur. Sicut libertatis ſtudio ac curæ aſſidet rebellio. Quæ vocabula, vt pleraque humana, a ſucceſſu immutantur. contra quem nec ſcholæ nec Grammaticorum rationes quicquam poſſunt. Quanto autem melius

can-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

candidiuſque noſter. cui cum ex genere animantium, inprimis ſtellio, ac ſpinus, præter eos, quos jam diximus, infeſti agant, ipſe vix, ac raro, commouetur, neque ex illis cuiquam autor vnquam fuit, vt in manum homini ſe daret. Tum, quod omnem ſuperat prudentiã, ne quicquam ſe indignũ patiatur aut committat, ab aſpleno herba, quæ purgare bilem creditur, remedium plerunque petit. Sicut autem fundamentum Stoicæ a ἀπάθεια, ita Cynicæ, quæ maxime naturam imitatur, b ἀδιαφορία creditur. Cujus notæ ſunt, cubare humi, ſine certa ſede ac laribus vagari: Venerem, non more humano, ſed ſub dio, exercere. Aliaque id genus, quæ excogitaſſe Canis generoſus inter homines putatur. Quibus neque video cur aſinus vincatur. Quod ne fiat, lenti eius, far, aut carduum, aut hordeum, aut furfures, aut iſta ſimul omnia, quæ ſunt viliſſima, opponimus. Neque manum, qua, reiecta cotyla, haurire didicit, moramur. cum, compendio maiore, ſolo ore noſter, meram, &c, vt matre nata eſt, fluentem, ſtomacho tranſmittat. Cuius potu etiam

tu etiam

a *Affectuum vacuitas.* b *Promiſcuitas: virtus, quæ ſine diſtinctione omnibus promiſcue eſt contenta.*

tu, etiam pingueſcere aiunt. Illum quippe,
qui dum viuit nunquam bibere putatur,
fidei Græcorum & Herodoti relinquimus.
Hoc ſubinde miror, quare Baccho ab anti-
quis conſecretur. niſi forte ob ferulam, qua
delectatur, vt videtur Plinio: aut, quod pri-
mus omnium, putationem vitis ac reſectio-
nem, demonſtraſſe hominibus exiſtimatur.
Qua de cauſa, aſinorum capita, & quidem
vite alligata, Romæ, in triclinijs repoſita
fuiſſe, antiqui docent. Inter cæteros Hy-
ginus. Neque alio reſpexit Iuuenalis,

a *Sed nudo latere, & paruis frons ærea*
lectis
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Vnde a Chaldæis quoque ac Syris, literis
iiſdem, quibus vinum, nomen eius ſcribi-
tur. Quemadmodum & apud Græcos, vno
tantum diſtat elemento. Pannum dupli-
cem nec geſtat nec oſtentat; pelle vnica ſa-
tis fortis. Quam non mutat. Nec propterea
quod multi admirantur, Cynicorum aſſe-
clas perpetuos admittit. quibus princeps
animalium naturæ beneficio immunis eſt.
Denique de dolio ſecurus, ſine vllo appara-
tu, ſomnum, feſſus ac defatigatus, occupat
non quærit. tum, poſt onera continua ac
flagra, pronus humi, aut in latera, pro-
cumbit,

No-

Noctemque ſub dio & trepidis agit
In rebus.

Cum interea bellator equus, rei omnis publicæ oblitus ac priuatæ, non ſub Ioue, ſed in ſtratis noctem agit. Negotiis ſolutus omnibus ac curis, ſi præſertim eam herbam, cujus jam meminimus, comêdit, nihil aliud quam pedit. Quod, vt ego quidem reor, omnium de ſe judiciis opponit. Hoc eſt enim, niſi fallor, quod *oppedere* Latini dicunt. Et hoc illi canticum ſolenne eſt. Ita concitatum ſæpe, vt cum dactylis ſpondeos mutet: ſynalœphas quoque plurimas aut tmeſes, in eadem ſyllaba confundat. Et ſic vno ſpiritu ac flatu, tot dicteria ac frigidas de ſe parœmias explodit. Maximo tranquillitatis argumento. Tanti enim quæ de ſe dicuntur credit, quanti a ſe fiunt. vt quæcunque admirantur homines, vnius pediti aut viſionis a ſe fieri teſtetur. Neque id præter Stoicorum diſciplinam: qui pro cætera ſeueritate ſua, peditus ac ructus æque liberos eſſe oportere, bona fide judicarunt. Et fortaſſe ab hac ciuilitate, vocem hodie pleriſque notam *a* Itali ac Galli deduxerunt. Quam cum ii, qui nec didicerunt quicquam, & con-

a pedante.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

temnunt quicquid nunquam diſcent ſum-mis viris, quorum labos omnis ac induſtria poſteritati conſecratur, lubentiſſime im-ponant; de hac re Eruditorum Patres ita cenſuerunt:

QVOD SENATVS POPVLVSQVE IMPE-RITORVM, ITA IVDICAVIT, CENSVIT PRONVNTIAVIT, ITA CENSET QVOT-QVOT DIES, IVDICAT PRONVNTIAT, SENATVM POPVLVMQVE ERVDITORVM NVLLI ESSE REI, PAEDAGOGOS ESSE QVI SE CVLTV ANIMORVM AVT PRAE-CLARIS ARTIBVS DEDERVNT AC VIX HOMINVM IMAGINES; DE EA RE SENA-TVS POPVLVSQVE ERVDITORVM, ITA CENSVIT AC IVDICAVIT, QVIQVI ITA CENSET HACTENVS, PRONVNTIAT, AC IVDICAT, AD ASINI, PRAETORIS SVI IVDICISQVE, QVI HAEC FLATV VNO DISSIPAT, TRIBVNAL AC SENTENTIAM REMITTI. NVLLI QVIPPE EXTRA FO-RVM SVVM PROVOCATIONI IVS ESSE. EA LEGE TAMEN, VT AD EAM NARIS QVOQVE EMVNCTAS ADFERAT. AD AV-TORITATEM QVIPPE INTERESSE SVAM, VT IVDICIA HAEC QVANTI FACIVNDA SINT POSTERITAS INTELLIGAT. ID HVIC ORDINI PLACERE. Sit ne virtus vere-cundia, an quædam animi affectio, non

ſine

ſine cauſa diſputatur. Hanc vt omnes Cynicis eripiunt, ſic matronis in hac gente Plinius ac cæteri, præſertim vbi partus appetit, aſſcribunt. *Paritura* (inquit) *lucem fugit & tenebras quærit, ne conſpiciatur ab hominibus.* Forte quod tum demum imminuta ſe virginitate inter homines verſari ſentit. Cura ac ſollicitudine carere, proprium eſt aſinorum, inquit Ariſtoteles. quæ haud dubio eſt illa patris Epicuri, aliis haud ſatis intellecta, animi tranquillitas: quam famoſo voluptatis nomine nonnulli deformarunt. Illa, quam *a* εὐεστὼ ante dixerat Democritus. quæ ad ſummum vitæ diem comitatur noſtrum. Porro, quo cujuſque animus in terris defæcatus magis eſt magiſque purus, hoc in ſomnis concitari acrius putatur. Quod & noſtro vſu venit. qui ſi quando ſomniat, quod ſæpe fieri notatur, tanto vngularum motu terram ferit *b*, vt, illiſæ humo, penitus rumpantur. Quid in ſomnis videat, incertum eſt. Neque enim verſus, niſi fallimur, metitur: nam hoc inſanire vocant aſini. Tum & leuitatem quandam in hoc genere hominum accuſant qnidam, cum grauiſſi-

a *bonam animi conſtitutionem.* b *Plin. lib. 8. c. 43.*

mum ac ipſis ſimile animal ſit aſinus. Si quis tamen diuinationi in re tanta locus eſt; de vmbra ſua ſomniare tum exiſtimo. Nam vt ipſum animal mitiſſimæ leniſſimæque mentis eſt, ita illa, vniuerſam nunc Europam concitat atque occupatam tenet. Hinc tot controuerſiæ de rebus nihili, tot ſomnia, tot ineptiolæ: quæ ad bella ſæpe & ſanguinem proficiunt ac gliſcunt. Nam vt quiſque vmbram aſini aut propriam in ſomnis vidit, ita protinus diuerſum aliquid a cæteris de ea ſuſpicatur aut in vulgus edit. Quæ quo eſt tenuior, hoc magis animos accendit, cum ad ſeria admittitur. Niſi forte Onocentaurum, ex ſententia interpretum, de quo nos ſupra, alibi conſpexit: quem in ſomnis iterũ nunc videt. Imagines majorum neque jactat, vt plerique, neque in atriis diſponit: qui non minus quam Romani Cæſares, a Venere, vt ante diximus, ſit oriundus. quæ prærogatiua domus Iuliæ putatur. a Certe Iulum Græci aſinum interpretantur. qua de re Grammatici Græcorum. quanuis alii in vermibus hoc animali diſtinguant. De morte quid exiſtimet non ſatis conſtat, niſi quod ab ea aliquid timere creditur. Moriente

---

a *Vide Heſych. in voce* ἴουλος.

riente enim aliquo e ſuis viſo, quam celerrime ipſum genus, Plinio autore, deficit. Moriturus autem ipſe, nec teſtatur, nec querelam inofficioſi metuit. Quippe liberis, in vniuerſa bona, ac præſertim ſanctam illam ignorantiam, ab inteſtato venientibus (quod & inter homines nunc obtinere video) mulis ex ſemiſſe, aſinis ex aſſe. Vbi vero moriendi inſtat tempus, eo plane modo quo terrarũ victor Macedo, e vita abit. Poſtquam enim ſemel expirauit, amplius non viuit. Funus, omni apparatu, omni pompa caret. Vnde & ab Hebræis tale (ne quid de clientis noſtri moderatione hic omittatur) Funus aſini, vulgari verbo dicitur. Mortuus, ne nihil agat, ſobolem de ſe producit. Nam, vt viuus mulos, ita tum crabrones gignit. animoſum animal, & quod facillime irritatur: irritatum, niſi difficulter animos non ponit. Quod non pauci hodie experiuntur. Magis autem cæteris qui controuerſias Sophiſticas, quas Theologicas vocare quidam malunt, noſtro tempore attingunt. Quod impune nemini, quod ſciam, hactenus ſucceſſit. Certum eſt, vt ſemel concludamus, inter animalia non eſſe dubium quin aſinus excellat: inter homines, quin, conſuetudine, vel tacito amore animalis, vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

fatali quadam & occulta ratione, qui ad aſinum præ cæteris accedunt, cæteris non raro præferantur. Quod qui ſemel animo propoſuit, moroſos omnes queruloſque, ac de hoc perpetuo ſollicitos, ingenti animo ridebit. Ipſe interim ſecurus ac tranquillus, quicquid emendari nefas eſt, conſtanter feret; vna ſapientia innixus, quam nec ſtulta hominum judicia nec ſæculi calamitas attingit, Hoc de me teſtari poſſum, nunquam magis erigi aut animo attolli, quam cum æmulorum de me voces ac judicia intelligo. qui, vt olim optime Pythagoras e modo ſpatioque plantæ Herculis, de corpore herois judicabat, de exiſtimatione hominum magnorum, e liuoris magnitudine pronuntiari poſſe exiſtimo. Ad quem tamen habitum non niſi ſenſim perueniri, id quoque equidem expertus fateor. Neque raro hanc prudentiam in ſummis hac ætate hominibus deſideraui. qui, obliti Socratis, cum viros ſæpe maximos, a quibus laceſſiti ſunt, prætereant, in aſinorum agmen bilem vertunt. Græco cuidam haud diſſimiles. qui cum agaſonem percuſſiſſet, atque is domo ſe Athenienſem eſſe diceret, toto impetu in aſinum conuerſus, Tu Athenienſis, inquit, certe non es. qui, cum tribum nullam, nullum

pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

pro ſe populum adferre poſſet, ad ſatietatem fuſte dedolatus eſt. Nos, quod tanto debebatur animanti, candide perſoluimus. Quod ſi me quoq; inter cæteros hic commendaui; res inuidia, ni fallor, caret. Et Plutarchus, prudentiſſimus ſcriptorum, fieri id poſſe, ſcripto integro probauit. Sed nec dubitare quidem poſſum, quid de me dicturi ſint, qui linguas omnes, omnes literas cum ſapientia oderunt. a quibus ſatis erit ſi non penitus auerſum eſſe, ex his intelligent. Nam ſi crimen ſummum eſt ac pædagogicum, in Græcis aliquantum ac Latinis profeciſſe, quis abſoluet eos, qui tentandum quiduis putant ſapienti, vt pauciſſima ignoret? Inter quos libenter nomen meum ad poſteritatem omnem hic conſigno. Qui ex quo ineptæ juuentutis ſpatia exceſſi, neſcio quo pacto aſinos amare cœpi. Me quidem certe memini, cum prima olim literarum rudimenta ſub doctoribus deponerem, neque adhuc virgarum jure (quibus parum me tum delectatum ſcio) vel annorum ratio, vel Porciæ Semproniæque leges, ciuem hunc Romanum exemiſſent, quoties aut carmen aut orationem infeliciter ſcripſiſſem, aut quæ dicerentur, minus eſſem aſſecutus; magno cum dolore meo aſinum ab illis dici.

 Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Quod vocabulum, vt per ſe atrox, grauius quam dici poteſt animum tum penetrabat. Donec accurate in res humanas intueri, Græca cum Romanis, noſtra cum antiquis, paulo aliter quam pædagogi ſolent, inter ſe conferre, &c, vt alij antiquitates aut obſcuras voces, ſic arcana ac recondita imperij, in maximis autoribus notare, ac de ijs judicare, cœpi. Ibi enim facile intellexi, nihil eſſe cauſæ, cur id eſſe nollem, quod tam multi, & nonnunquam proceres ac totæ gentes, eſſent aut fuiſſent: ac, vt reliquos omittam, quod tam multi eſſent, quos præferri cæteris videbam. Quid quod ne negare quidem poſſum, eſſe & alia nonnulla, quæ nos propius cum animali laudatiſſimo conjungunt? Inter prima autem, quod, ætate illa, qua æqualium plerique, Regna partim ac Reſpublicas prudenter gerunt, quidam domi ſpolia diſponunt & relliquias exhauſtæ matris maxima cum cura legunt, probitatem ſine præmio amplexus, neque ſemel ad majora evocatus, ſapientiæ prudentiæque veteris oracula ac monita, in Academia adhuc cantillo. Vbi motus temporum noſtrorum ac procellas non indiligenter vito: neque aliter quam ſi lapidibus in curia, Republica, ac foro pluat, domo me includo. Quanuis ſæpe a-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

mici clam in aurem,

quo nunc ſe proripit ille?

Et

tu poſt carecta latebas.

Quibus illud leni voce occento

Deus nobis hæc ocia fecit.

Si quem autem video, qui tempore hoc miſerrimo ad clavum ſedet, ſolus mecum

Non equidem invideo. miror magis. undique totis

Vſque adeo turbatur agris.

Vnice ſecurus, quis in curia aut foro cauſa ſtet vel cadat: quis in aula regnet, aut friguſculo contactus gemat: quis in ambitu admiſſus aut rejectus, rideat aut ploret: quid vbique armati vel minentur alibi, vel metuant. Non minus quam Diogenes, tranquillitatis publica imago, & qui nunquam ſua intereſſe crediſſet, Aſinus an Canis, ab ineptis Græculis, aut æmulis philoſophaſtris, diceretur. Qui cum vrbi florentiſſimæ Corintho caſtra Rex Philippus admoueret, in qua muros alius firmaret, ſaxa alius advolueret aut ferret, arma omnes in ſaluté partim vrbis, partim oppugnationé, expedirent, ne & ipſe in tanto motu nihil ageret, ſurſum ac deorſum dolium, in quo viuebat, edito in monte voluere, ac revoluere ocioſe cœpit, ac fortaſſe ali-

aliquid de hominum ineptijs accinuit. Cujus nos exemplo, in hoc rerum motu, quo vbique pax turbatur, regna integra aut vrbes inter ſe concertant, plebs denique, ne nihil agat, diſſerendo quæ non capit, ſibi cornua aut alijs appingit, nemini vel graues vel moleſti, nihil potius agemus, quam vt nihil fiat. Si quis interim quietem noſtram, maledictis, aut libellis, quales hodie naſcuntur, interturbet, aut laceſſat; locum hic inveniet, quem debet. Vt impoſitus Aſello noſtro, atque vbique ab eo circumvectus, homines in poſterum oblectet. Nam iraſci talibus non placet. Satis erit contumelias ridendo retorſiſſe. vt qui folle aut pila, non datatim ſed expulſim ludunt. Amorem quoque ac admirationem, qua clientem noſtrum, quem cum plures colant, multi tamen accuſare audent, ſemper proſecutus ſum, hoc ſcripto profiteri viſum eſt. In quo, niſi fallor, etiam expreſſi quem commendo. Nam vt ille ſine certa lege aut ordine vllo, cum in carduos præcipue, aut ſegeté, vt cum Homero etiã nũc loquar, incidit, libẽter errat ac de via abit; ita nos ad hominũ ineptias & aſini cognomines, cũ lubuit, digreſſi ſumus. Ne ſine exodijs videlicet, ingrata, aut moroſa, aut non ſatis cõmendata eſſet fabula. Quod tutiſſimum

putaui,

putaui, quia nemo eſt qui talē ſe exiſtimat. Ac ne illi quidem, quos Europa vniuerſa oculis deſignat. Quanquam inter omnes nemo ſit qui meliori jure id nomen vindicare ſibi poteſt, quam vos Patres. quos cum homines natura genuiſſet, ignorantia ſciētiarum ac contemptu, quibus linguas, præclariſſimam erectæ mentis ſupellectilem ac eruditionis inſtrumentum, ancillari decet, primum vobis inter aſinos feciſtis locum. Nunc autem, poſtquam ſpem diſcendi fruſtra cum ætate elapſam cernitis, priuati aut in dignitate, (nihil enim refert) poſiti, immane quantum vobis diſſimilibus libenter inſultatis. Ita quidem frigidis interdum jocis atque inſulſis, vt clienti noſtro nihil hic debere vos pronuntiem. Qui, vix dici poteſt, quam hoc generoſo animo contemnant. Neque dubitamus, tempus aliquando fore (quanquam crudeliſſima hæc bella, vaſtitatem vniuerſæ eruditionis ac interitum minantur) cum præclare meritis de omni diſciplina, gratiam perſoluent eruditi. Vos autem, viri Aſini ac Patres, vel ne extitiſſe quidem ſciet vnquam, vel ſi eo ope ac commendatione noſtra, veſtrum aliquando nomen peruenturum eſt, eorum, quos hic commendamus, Principes fuiſſe omnis olim profitebitur poſteritas.

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Qui autem ſitis, neque multum ſane refert: neque quiſquam veſtrûm ignorare poteſt. Singulorum enim animis, dictorum ac factorum conſcientiam inſcripſit generis humani autor. Quod judicium de vobis veſtrum, noſtrum quoque & cæterorum antecedit.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

CRAS CREDO
HODIE NIHIL.

Siue,

Modus tandem ſit ineptiarum.

SATYRA MENIPPEA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

AMICO LECTORI.

AMICE *Lector, Varro inter Menippeas ſuas, unam, hac inſcriptione quam hic habes, publicauit. In qua res humanas, quod iam quidam monuerunt, & earum, ſine dubio, viciſſitudinem ac incōſtantiam, notarat. Præſertim vero, in hominibus, in quibus nihil eſt, vt loquitur Poëta, de quo non habenda fides ſit: nihil hodie, vt heri. Potuit & Academicos riſiſſe, qui in omnibus aſſenſum ſuſtinebant. quos nec hodie deſideramus: ne in iis quidem quæ grauiſſima habentur, & neceſſitate pluſquam Geometrica, vt Plato loquitur, nituntur. Nos, exemplo ejus, quantum quidem ex reliquiis apparet, magis hic de vitiis quam de hominibus feſtiue quædam luſimus. ea moderatione, vt nullius probi nomen, in diſcrimen vel leuiſſimum adduceremus. Qui religionem, factionem integram, aut ſectam, niſi ſi quæ ſit quam profiteri omnes, vere Chriſtiani, metuunt, ad partes vocant; vim negotii aut malum ſibi creant. Illos autem*

Defendit numerus, junctæque vmbone phalanges.

Nec profecto per facetias religio aut melior ſuadetur, aut diuerſa tollitur. Et ſi multos pariter hic pungas, gliſcit ſtudium vindictæ;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

& ex indignatione, pertinacia. Si quid velis, ſinguli conueniendi ſunt. tum vt æquos habeas lectores, tum vt magis peti ſe intelligant. ſicut qui in acie deſerti, & a ſuis derelicti, per ludibrium cæduntur. Amicorum næuos, quibus nemo caret, vellicare, non remiſſio philoſophorum, qui hunc ſtyli naſum primi condiderunt, ſed loligo, vt cum Flacco loquar, & malignitas habetur. certe à Belgico candore abhorret. Vltro aliquem laceſſere; aut procacis aut inſani. Prouocare eos, qui, cum lubet, referire poſſunt, aut quos ſua dignitas tuetur, atræ bilis argumētum eſt. Inſultare infelicibus aut miſeris, cruentum: niſi vltro in innoxios, a quibus nunquam læſi ſunt, incurrant. Sacra aut in ſacris aliquid ridere, hominis profani eſt. etiamſi iſto animo non fiat. Reſpondere ſerio obſcuris, aut ignaris diſciplinæ omnis & honeſti moris, qui mendacia clam cudunt, quæ in probos tantum & autoritatem magiſtratuum, clam ſpargant, quid eſt, niſi tollere eos, & in luce hominum locare, quibus pœnam publicam improbitas promittit? Vel hoc nomine indignos, quos ſplendore ſuo fama melior illuſtret: quam vt ambiunt fortaſſe, ita ſatis ſibi eſſe per nos quidem patientur, quod cum riſu contemnantur. Nam de iis qui communi odio ſunt digni, aut libenter malum ſibi creant, nihil vnquam potuit

pec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

peccari. Quibus eos adde, qui de eruditione & eruditis, ineptiſsime & inſolenter judicant. Vt Apologiam pariter hic habeas. Quam ſi operoſe, & cum cura inſtituerem, quod faciunt plerique, nulli rei eſſem, & ineptior his ipſis. Si qui ſint, de quibus ne per ſomnium hic quidem cogitaui, qui, vt culpæ fœcundiſsima eſt ætas, quam plerunque ſequitur ſuſpicio, vel tangi ſe a nobis alibi, vel lædi dicant, ij pœnas animo haud recte ſibi conſcio perſoluant: noſtram autem innocentiam abſoluant, ſi videtur. quam ne approbare iſtis quidem volo. & reipſa bonis eam approbaui. Sed nec limen hic magnificum expecta, aut præfationem longiorem. cum & ludicrum hoc totum ſit, & breue. Ne hoc fiat, quod Diogenes notabat olim. qui, cum ad exiguam ac plane anguſtam ciuitatem, amplum ac latiſſimum videret aditum, ad incolas conuerſus, lepide, vt ſolebat, Cuſtodite, *inquit,* vrbem, ne per portam elabatur. *Neque enim tanti iſtud nobis videbatur, vt ineptiarum non tam odium profeſsi quam contemptum, propriam ambitionem in veſtibulo præſcriberemus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Horat. Sat. lib.II. Sat.I.

—hic ſtylus haud petet vltro
Quenquam animantem, & me veluluti cuſtodiet enſis
Vagina tectus. quem cur deſtringere coner
Tutus ab infeſtis latronibus? ô pater, ô rex
Iupiter, vt pereat poſitum rubigine telum,
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis. at ille
Qui me commorit (MELIVS NON TANGERE, CLAMO)
Flebit, & inſignis tota cantabitur vrbe.

CRAS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

CRAS CREDO, HODIE NIHIL.

FERIIS his proximis, cum admodum benigne aliquamdiu dormiuiſſem, (neque enim ſemper vigilare lubet) viſus mihi ſum ad vltimum Septentrionis limitem verſari. Vbi ſæpe intellexi multa artibus occultis fieri, quæ fidem apud nos vix inuenirent. Solent autem, quæ de die vigilantibus occurrunt, noctu, cum a corporis imperio mens aliquanto jam ſolutior, & magis quaſi juris ſui, diuagatur, animo hærere. Erat autem, vt tum videbatur, rupes quædam vaſta atque excelſa, quæ inferiore ſui parte maris impetum frangebat: ſupra, herbis & graminibus, ad voluptatem vſque læta. Vt nunc arbores omittam, quæ ingenua naturæ arte ac ſimplicitate, in ordines deſcriptæ, jucundiſſimum aduenientibus hoſpitium præbebant. In hanc ſubito delatus, mulieres aliquot inuenio: quæ nugarum artificio præſtigiiſque, intuentium credulitati imponebant. Inter omnes vnam, qua nihil pulchrius aut elegantius humani oculi viderunt. Ei me adjungo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

& vt artis vanitatem coram cæteris traducerem, Quin hoc agimus nunc, inquam, o venuſta, &, quandoquidem prolatæ res ſunt, totum hunc terrarum orbem, cum hominibus, in plena nobis luce ponis? Illa ſuauiter ſubridens, & haud ita multis pacta, carmen ſuum infit, & in terram Lunæ orbem trahit. Atque heic primo quidem ipſa Luna, muliebri forma, qualis a poëtis pingitur, occurrit, & ſalute data atque accepta, manum venienti porrigit. Quam vt vidi, Salue veneranda, inquam; omnium laruarum genitrix ac ſomniorum: cujus numen eruditi quoque ſentiunt. Nam quid ego vel inſcriptiones nunc librorum hic commemorare pergam, qui bis anno, ſicut noſti, ad fluenta Mœni exponuntur? Illa nihil admodum morata, in conclaue quoddam orbis ſui, quod ad Orientem erat, nos deducit. Ex quo equidem, non terras modo ſingulas ac ciuitates, ſed & homines, & actiones ſingulorum, quaſi coram, intuebar. Ac videbam quidem, alios plorantes, alios ridentes, feſtinantes alios, ac ſatagentes; ea lege vt nihil agerent. Erant qui cum gaudio vxorem ducerent; nec pauciores qui efferrent. Alii optabant pacem: alii auerſabantur. Opes alius quærebat; & hanc turbam ſane maximam fuiſſe

ſcio:

ſcio: alius dilapidabat quas quæſierat, aut, ſubito effuſas, denuo quærebat. Ita, vt a luxu pariter & egeſtate, tranſitus ad vota fieret. Erant qui hæreditates, erant qui quæſturas, conſulatus, ac præturas, & continuas honorum paginas, optarent. Quidam, annos centum, vitam prorogari ſibi tacite petebat; illa lege, vt quocunque dein fato expiraret. Quidam, voto minus immodeſto, virgis aliquamdiu irrigatus, Gygis ſibi annulum optabat. vt, pro tempore lictoris diligentiam effugeret: cui diu multumque latus pariter & tergum commodarat. falſa autumans, vt reor, quæ de tarditate ſenſuum ab Academicis dicuntur. Et hic multis æqua poſtulare videbatur. Nauigabant Batavi: equitabant Itali: vires ſuas, quanuis jam acciſas, venditabant Luſitani: ſed Hiſpani magis. Bellum cum Auſtriacorum gente, Boii; cum Polonis Sueci, cum his ipſis, aut cum Moſcis, Tartari gerebant. Flandria ad tempus colebatur, & jam caput, poſt immane bellum; ſenſim attollebat. Liuoniam vaſtabant duo Reges. quæ calamitatem non diffitebatur, & cadauer viſu miſerandum, e ruinis oſtendebat. Oratores vocem excolebant: philoſophi certabant ac diſſentiebant: Critici, hariolorum inſtar, conjectabant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ctabant. Poëtarum natio eſuriebat; ſuo vitio an ſæculi non dicam. niſi quod in multis locis, etiam ſitirent. Iuris ſacerdotes, lites alii tollebant, alii, vt diuerſa ſunt ingenia, ſerebant. neutri gratis equidem quod ſciam. ſicut raro admodum dolere vidi Medicum, quod pauci optime valerent. De Theologis vix quicquam liquet. Quippe, quanquam inter dormiendum, nihilominus memineram, prudenter eos præteriri. Porro, niſi quis Homerum legit, explicari hoc negocium vix poteſt. Apud eum Iupiter, eodem oculo, diuerſas gentes; & inprimis Thracas, Myſos, Abios, & Hippomolgos; videt: neque quicquam obſtat, quin Trojanos quoque & Græcos contempletur; niſi quod tum illi non luberet. Idem mihi plane euênit. Atque hæc quidem vniuerſa, de judicio vnius tum pendebant. Iudicabam autem, Nihil eſſe ineptius hoc Orbe. In quo

Mortales multi rurſus ac prorſus meant.

Quem ſi venum quis exponat extra ipſum, nemo ſit qui obolo addici ſibi velit. Et hoc eſt, quod flendo aliquis relinquit? e quo, tanquam ad prætorem, & in neruum, imus? cujus cauſa, mortem deteſtamur? in quo ſæpe ambitioſus aliquis, qui præter ſolam dignitatis vmbram nihil vidit, vultu

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ad ſeueritatem parum comiter compoſito ac grauitatem, vt qui in Patroclianis ſellis cum difficili luctatur aluo, oſcitans nonnunquam quoque aut ſcreans, eruditum hominem ac ſalſum, ſolo ſupercilio dimittit? Qui, ſi morbus vel leuiſſimus afflauerit, vel optima Dearum Parca, digito crepuerit, omnibus continuo ineptiis defunctus, tertio, vt plurimum, ſingultu, ocioſe admodum extendit calcem. Ac tum demum, *a* fundamentum Reipublicæ intelligit. Vna enim omnes poſt hanc lucem excipit æqualitas. Et tamen

Hic tumida Reges ora victores gerunt,
Victique mærent. Hæc arena, hic circus eſt,
Hæc ſcena Sortis. quæ jocantis in modum,
Vt ſæpe pueri, cum recuruo in littore
Nunc extruunt, nunc pedibus euertunt opus,
Aut tollit imos, aut ſuperbos deprimit:
Hic ſpes inanes votaque ambientium
Sæpe vna ludit, nulla conſummat dies.
Nec tantum in ipſo vita deſtituit bono;
Et ante, fallit.

Atque, vt imitari incipiam pleroſq;, qui cũ in

a *Vide Plat. & Ariſtot. in Polit. de* ἰσονομίᾳ.

in cothurno inchoarunt, deſinunt i
ſocco,

Hic ineptiunculas,
Et factiones, & ſimultatum mare,
Et odia ſubita, & æmulatiunculas,
Et pacem, & iram rurſus, & vaferrima
Hæreditatum captitatiunculas,
Vbique video. nundinalis hæc ſemel
Recludit omnem pergula hiſtrioniam.

Bene ſit Naturæ rerum, quæ plorando vo
luit nos naſci. Nunquam equidem menti
mur minus, quam cum lachrymis ordi
mur vitam. Niſi quod Democritus ad ra
tionem prouocare poteſt: qui cum gran-
dior ætate eſſet, & abunde res humana
perſpexiſſet, riſum maluit præferre. Quic
quid enim aut Natura fecit, aut ingenium
excogitauit, aut opinio commendat ho-
mini, contemptum non excedit. Sed ac
ſomnium reuertor. a quo, tanquam præ-
fica, ad ſapientiam digreſſus ſum. Ne hoc
quidem præter morem. Noui quendam
qui de allio cum cœpit aliquid aut porro,
in virtutis commendatione deſinit. Et
hoc multis hodie non parum placet. Vi-
debam ergo, & quid Romæ gereretur, &
quid in hac noſtra Gallia. quo & animus
ferebat, & jam ſua ſponte oculi conuerte-
bantur. Neque quicquam jam obſtabat,
quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quin & vrbes integras & regna vnico intuitu luſtrarem. Vnum hoc mirabar, quod, cum cæteræ ſe protinus offerrent, vna nuſquam compareret. Igitur ad comitem conuerſus, cujus ope ac ingenio vtebar, & quæ ſuo cantico huc vſque nos deduxerat, Rogo, inquam, o formoſa, ſeu tu mater, ſiue ſoror, dici mauis, [a] *τουτηνὶ τὴν δεῖνα*, nobis monſtra. Quod cum prompte ſatis atque agiliter feciſſet, Ego vero, homines quærebam, inquam. nunc hic præter rhedas nihil video. Illa leuiter annutans, Omnia nunc domi, inquit, peregrina ſunt. Atque iſtæ nuper vſitari cœptæ, paulo poſt ad muliones & opifices tranſibunt. Quorum princeps, domum, acu partam, aduentantibus oſtentat. Hoc initium eſt vrbis, & non vltimum frugalitatis noſtræ argumentum; clarus illuſtriſque ſartor, qui priuatos animos & opes antecedit. credo, vt in limine reſarciatur, ſi quid alibi peccatur. Prius enim horologia conſiſtent, quam luxuries in magna ciuitate; poſtquam in exemplum iuit, & ab æmulatione robur ſumpſit. Nam quis fœminas agnoſcat, inquam, quæ faſtidio ſimplicitatis noſtræ, cultu ſe Hiſpano commendari

a *illam quam cogito.*

volunt? Faxint Dii, cuſtodes libertatis, ne infamia hæc gliſcat, & poſt annos aliquot, exemplo vicinarum, pariant quos imitantur. Illa denuo, vt ante, quam ſuauiſſime ſubridens, cæteros oſtendit, quos certamen ambitus teneret. Quorum nemo erat, qui non aliquid ſperaret, quod cum eſſet conſecutus, tanquam vacuus aut egens, cœlum fatigaret; aliis moleſtus, ſibi grauis. Neque quiſquam tam exacte prudens, aut ſubducta ratione ad vitam erat, qui non ſæpe ſuis artibus eluderetur: niſi quod, pecuniarum interuentu, multis artificium periret. quibus fruſtra mentem aut ſollertiam opponas: multo autem minus probitatem. Interim cum quædam nondum ſatis apparerent (nihil enim præter homines videbam) ibi comes noſtra, geminum ſpecillum, teres atque oblongum, promit; ejus generis, quod nuper hic repertum, longe ſita, procul intuenti repræſentat. Cujus vſum dum addiſco, ac ſubinde, vt mos eſt, oculis adapto, Video hic, inquam, quoſdam quaſi viros, quoſdam quaſi nobiles, nonnullos quaſi diuites quoſdam, in curiis præſertim atque in aulis quaſi amicos: multo autem plures, quaſi Theologos: non ad docendum ſed ad velitandũ calide inſtructos. quoſdam vero qui bu-

bus ſumma frons ſic quaſi in acumen aliquod deſinere videtur. de quibus apud a Somniorum interpretes legiſſe memini. Iſtæ autem quænam ſunt, o mater, inquam, delicatæ ac venuſtæ, quæ hic circumerrant: Quædam, inquit, quaſi virgines. quæ cum aulicis feſtiue ludunt, rident, nictant, pruriunt. Nono autem menſe, poſt peractas quaſdam quaſi nuptias, vnum deligunt plerunque, cui prolem quaſi ſuam mittunt. Ille, quaſi pater, (nam in tanto ſubſeſſorum numero memoria nonnunquam fallit) verecunde latet: aut, quod circumſpecti Senatores ſolent, cum de capite pronuntiatur, NON LIQVERE SIBI HACTENVS, reſpondet. Ita, niſi pater ſtolidus inueniatur, ventrem ſequi cogitur quod natum eſt. Et miramur, interire diſciplinam? Nuper autem quædam hic matrona, tertio poſt menſe quam in manum viri conueniſſet, mane ſummo, de torminibus nonnihil queri cœpit. Die eodem autem, cum ſubinde manifeſtis dolor gliſceret acceſſibus atque incrementis, Medicus, vir, nihil minus equidem quam malus, ſed, vt multi, artis ſuæ tyro, & adhuc ab Academiæ incude re-

a *Vide apud Artemid. prouerb.* cornua facere, *eodem ſenſu veteribus, quo nobis, vſurpatum.*

cens, voluulum in cauſa eſſe dixit. quem dexteritate ſumma aliquot poſt horis obſtetrix euoluit: quæ cum ſexum exploraret; patri ſimilem pronuntiauit. neq; quiſquam dubitauit, quin hic verum diceret: Erat autem quiddam quaſi homo: animal vulgare in his locis, & plerunque ingratum; cum præſertim præter exſpectationem patris naſcitur. Nihil mirum, inquam ego. Sanctitatem quippe noſtram mores aduenarum infecêre: quam mercede, vt putamus, luculenta, cum ingenti rerum abundanria mutamus. Cæterum, prudentiam, fatale bonum populi, tantiſper nemo penetrauit, donec flammeo ſimplicitatis, vires ſuas aut diſſimulauit aut intendit. Atque hoc munimento hactenus inuictus ſtetit. Ac Dii, inquam, peregrinos illos male perdant, qui tot modis veterem ſimplicitatem nobis corrupêre. Quam, ſi poteſt, quiſquam, vel depictam alibi oſtendat. Ac tum ſimul quoquo verſum oculos intendens, O Diuarum, inquam, maxima,

Candida Simplicitas, cujus ſub numine tellus
Tuta fuit quondã, cum primo concolor auro
Vnanimis regnaret amor, probitaſq; fideſq;.
At fraudes aberant, aberat fraudiſq; doliq;
Suſpicio: quæ ſola ſuis non præſtat alumnis
Securos animos, & apertũ pectus, & ingens
Depo-

Depoſitum, conſcire nihil; quocunque ſub axe,
Diua, lates, quondam patriæ laus vnica (gentis;
Seu te luxuries, ſeu te furor acer habendi,
Seu mater falſi ambitio, ſiue omnia, vultus
Paulatim infecere tuos, priſcumque nitorem;
Exere formoſos, & nos, Dea, reſpice, vultus.

Et cum dicto, in vicinam arborem permitto corpus; fune, vt tum videbar quidem, nautico. Erat autem abies procera: qualis illa, quam Homeri Somnus conſcendiſſe dicitur,

a ἣ τότ' ἐν Ἴδῃ,
Μακροτάτη πεφυῦα, δι' ἀέρος αἰθέρ' ἵκανεν.

Atque hic tædam protinus accendo. Qua admota, denuo ſpecillum, quod jam cœperam, in omnem partem pariter cum oculis conuerto: vt, vel per veſtigia, latentem, ſi qua fieri id queat, deprehendam. Multum igitur quæſitam, ſub pileolo cujuſdam ſenis, fugitiuam ac videri metuentem, clam inuenio. cujus vxor, vt marito ſeni parceret, diurnis operis miniſtros ejus fatigabat.

---

a *quæ tum in Ida proceriſſima, per aerem ad ætherem vſque pertingebat.*

Ille vero,nihil præter pudicitiam matronæ & felicitatem ſuam, loquebatur. cumque ſcitus puer natus eſſet, ſuum eſſe credidit, ac liberaliter eduxit. Atq; hæc in terris quidem. Cætera in ipſo Lunæ orbe conſpicabar. Cujus integram capacitatem, itidem vt terræ,habitari,veteres jam prodiderunt. quos & ipſos, vel Lunares (ita enim vocant, vel Lunaticos, fuiſſe reor. Vmbilico fere in medio, ad dextram, fons illuſtris erat. e quo cum Democritus bibiſſet, nunquam ſplenem continere potuit. Ac in hujus fundo,veritatem, credo, contineri voluit. Aqua ejus, qualibet cryſtallo quolibet argento purior, e ſummo monte devoluta, ſingulari genio naturæ, primum contemplanti, mundos prope innumeros ſuſpenſa ex aduerſo atque oppoſita, vt nubes quas videmus, maximo fulgore reddit. Ac tum intellexi, ſobrium fuiſſe quidem ſed in Luna dormiuiſſe, Epicurum, cum non vnum eſſe ſcriberet,ſed plures. Tincto ea aut imbuto leuiter, quemadmodum luſtrati ſolent, mons vicinus, cujus, inter dormiendum, culmen iam conſcenderamus,quicquid arant,nauigant,ædificant vbique homines, bona fide intuentibus repræſentabat. Vt non vitas ſingulorum modo exituſque, ſed & ipſos,accurate exhibe-

ret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ret. Totam autem, non vt nunc videtur, ſed ſub vna cœli facie, conſtituebat terram. vt in vna pariter planitie, Antœcos, Periœcos, & Antipodas, viderem. Neque dubitabam, quin eodem modo Firmianus ſomniaſſet, cum Antipodas negaret. cuius nomen margini, quæ marmori terſiſſimo includebatur, adnotatum legenam. Videbam autem, omnibus in terris peruulgatum eſſe, mori. Cæterum, defunctis, etiam qui nonaginta exceſſiſſent annos, terræ aliquantulum aſpergi: mox obliuione placida tranſmitti. qui præſertim hærediolo iuuiſſent ſucceſſorem. niſi quod lachrymulæ vbique, moris & exempli cauſa, funderentur: quæ non raro ante exequiarum pompam, cum iam maximus earum eſſet vſus, plane exaruiſſe videbantur. Videbam quoque, non eodem omnes animo ſubire mortem. Sæpe autem, qui perpetuo victuri ſibi videbantur, atque immenſa paulo ante agitaſſent, a febricula inepta, aut angina, aut dolore lateris, extingui. Idque ſerio ac ſemel fieri: ſine vlla reuertendi ſpe aut animo. Etiam auaros aliquot videbam. qui cum ſua, tanquam aliena, ſemper poſſediſſent, rurſus ea, tanquam aliena ſarta atque tecta, prius quam de vſu vnquam cogitaſſent, ad hæredem tranſmittebant. Quidam

erant,qui,iniuſſu creditorum, non e vita, ſed ad tempus aliquod, e foro excedebant. Ea lege , vt opulentiores paulo poſt redirent. Atque hic quæſtus apud nos nunc eſt vberrimus. Horum ſingulos dum luſtro, quidam luculento teſtamento, nullis opibus,effertur. Quæ res plurimis fuiſſe fraudi dicebatur. Nam cum maximum æs alienum omnibus ignaris poſſideret , magnam eius partem , tanquam ſuam, amicorum aut hæredum oculis obiecerat. vt ingentem ſpem , quicunque ſucceſſurum ſe putaret , animo conciperet. Erant autem nummi omnes , certi ponderis atque æſtimationis notæ: monetæ autem exquiſitæ, & inprimis raræ ; quales aſſeruari ſolent. Quo effecerat,vt quiſque proximum ſe ferret : quiſque , & ingenio & arte , pompam funeris ornaret : multi vndique concurrerent : campanæ , quanquam nullo admodum cognationis gradu eſſent , luctum ſuum teſtarentur : maiorum quoque inſignia ac gentis,ambitu pleriſque vſitato, Diis Manibus ſuſpenderentur. Genus enim nunc,vt plurimum, & honos, patrimonio æquantur. Ipſe vero,iuris probe intelligens ac gnarus,vſu longo atque experientia tenebat , poſt iniectam glebam, neminem in foro conueniri. Tribunal enim nullum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

nullum aliud quam Rhadamanti, in quo hæc negocia aguntur, ſupereſſe. Quod & longe abeſt, neque ſine vitæ detrimento petitur. Porro, certum quoddam apud nos ius obtinet, antiquum quidem ſatis, ſed hæredibus iniquum, vt in bonis quiſque illud habeat quod nemini debetur. Si autem nihil ſupereſt poſt vitam, vt hæredes vna excidant ac creditores, iuris apud nos indubitati eſt. Iuris autem certi eſt & illud, vt, ſi nihil ſupereſt poſt creditores, fletus ad hæredē redeat ex aſſe. Quod tum eueniſſe putabatur. Lugebant igitur haud pauci: ſed ex animo tum primum cum ſe excidiſſe certo iam cognoſcerent. Defunctus vero ita vitam egerat in terris, vt ad ſolidam felicitatem, præter vnam probitatem nihil defuiſſe videretur. Vxorem quippe nunquam duxerat: pares amicitia complexus erat: in exercito ambitione loco, procul ea egerat: fines litium & ambientium calamitates, inter epulas acceperat: diem inter ſomnum & ſodalium congreſſus, æqua lance, ſine vlla vel moleſtia vel cura, dirimebat. Raro admodum ieiuno prandium apponebatur: quod in cœnam ſalutantes & fritillus extrahebant. Agros vero ſuos, atque inprimis ſi quos aliis tranſcripſerat, haud raro commendabat: multa ante de colo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

colonis ſuis , & agricolarum negligentia
præfatus. Mores ſæculi & corruptelas,ne
immerito, nec ſine grauitate vultus, accu
ſabat.quæ res animos & ſpem addebat cre
ditorum populo. Apud inſtitores quoque
Principis inuicti,callida cum indignation
nec ſine imminutione nominis, memine
rat : cujus mores ferri poſſe amplius nega
bat. Veteri nobilitatis more , quibus vſita
tum,pares aut ſuperiores tantum faſtidire
De religione quanquam admodũ ſecuru
tamen plenus fidei viuebat. Quod facillim
ab eo fit qui ſupra creditores ſuos ſapit
quos & plurimos habebat , & in ea vrbe
quæ de omnium fatuitate fert ſententiam
Ipſe fidem ac credulitatem ſuam Zenodor
cuidam Placentino,ex Eriſticorum genere
addixiſſe ferebatur. qui cum nullis literi
inſtructus, minus tamen imperitus quan
ambitioſus eſſet, ſomniauit ſe Homeri A
retalogum ad Belgas tranſtuliſſe:paulo au
tem poſt , Theologum ſe & Politicorum
Primum eſſe. Qua fiducia,in ſummos æu
viros cornua obuertit. Quiduis autem vul
gus illi credit, & cum vulgo, qui autorita
tem ſuam nouitati aut maleuolentiæ li
benter commodant. Nam & blanda cui
uis homini ac popularis eſt religio quan
ſapit.etiam ſuorum mores meditate tenet
quibu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

quibus libertatis condimentum ac licentiæ apponit. quod non pauci poſtea ſunt imitati. Virtutis quoque nomen ſæpius quam eruditionis aut ſcientiæ vſurpat. quod aucupium eſſe optimum, verſuti melius intelligunt quam eruditi. Ac nunc illis omnia eſt Zenodorus. Nam plerique non expectant dum intelligant quæ laudant, neque Zenodorus quicquam legerat cum ea ſcriberet; contentus omnia damnare atque laudere. Quod compendium plerique ad ſcientiæ exiſtimationem arbitrantur. Eo vſus præceptore, clam elapſus, ſicut vixerat, ad Acherontem venit: ac tum demum intellexit, quam in terris matrem habuiſſet. A Plutone ergo impetrauit, vt nobilitas ac virtus ſua, tum, qua apud creditores ſuos valuiſſet, fides, pro honore funeris & luctu, quando nihil aliud relictum eſſet, proximo hæredi cederēt. ſi quid ſupereſſet poſtea, de ſumma debiti expunctum iri. Nunc ad Lunam redeo, quam ſupra, vt & cætera, deſcripſimus. Orbem eius multis habitari oppidis, jam dictum. Vnam Aphobi nunc tenent: culta gens inprimis ac vetuſta. Eam paucos ante annos fruſtra hoſtium exercitus tentaſſe dicebatur. Cæterum, inuicta, & vlterius quam dici poteſt libertatis ſuæ tenax, jugum animis feliciter excuſſerat. Nos ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

obſeſſam vidimus, cum hoſtem non habe-
ret; niſi quem infelix timor & ſuſpectæ vi
res mutuæ feciſſent. Cauſam belli eam ci
ues afferebant. In primore vrbis amœniſſi
mæ acceſſu, ingens labyrinthus erat, in
quem perſonati duo, a choragis miſſi, v
agnoſci publice non poſſent, aliquot e ple
be induxerant: gnari populares animos
bellorum tædio ſolutos, cuilibet mutatio
ni pronos fore. Qui ineptis primo ac jam
ſæpe ventilatis quæſtiunculis, immemore
quo loci eſſent, & ad portas excubare ho
ſtem, aliquantum velitari: mox, cum regre
di non poſſent, nec euadere vlla arte

Parietibus textum cæcis iter,

a ſuſpicione ad certamen, a certamine ad
ciuile bellum & diſcordiam delabi. cui fa
ces plurimi ſubdebant: pauci, qui futura
prouiderent, aliquid de [a] ἀμνηστίᾳ, ant
motus animorum, ſuggerebant. Qui ne
quicquam apud alios aut ſecum cantilla
bant,

Pax humanæ maxima vitæ
Spes, Pax, trepidis anchora rebus;
Quo Diua moues, miſeroſque fugis,
Poſtquam poſitis horrere nihil.
Tot iam meſſes placitaſque hyemes

Cæpi-

---

a *præteritorum obliuione.*

Cœpimus armis, & ſecuros ducere ſomnos?
Seu Danubium, ſiue Heſperios,
Tanainque petis, ſiue exuſtum
Solibus Indum, ſeu ſuppoſitas
Alio mundi cardine terras,
Quæ, Dea, tandem ſic attonitos
In ſua vecors viſcera ciues
Vertit Erinnys? Non hoc pietas
Cœlumque jubet: non Relligio;
Prognata polo. non ipſe Deus.
Maxima cujus latuit ſemper
Pars in terris, maxima poſthac
Vſque latebit: pars magna oculos
Prouocat vltro, reſideſque animos
Splendore ſuo ferit aßidue.
Canit ipſa ſuum tota artificem
Natura parens:
Nec certa deeſt prodita binis
Lex in tabulis, nec teſtantis
Firmata Dei morte voluntas:
Quam mens humilis, non alta, capit.
Quid ſolliciti quærimus vltra?
At nos roſeam Phœbi fugimus
Cernere lucem:
Ipſumque manu tangere Phœbi
Fruſtra miſeri nitimur orbem.
Hinc immanes ducimus iras:
Hinc ſollicitus vanuſque furor:
Hinc diſcordes in ſæua ruunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Prælia ciues. fratrem hinc frater
Natóſque pater, ſocerum mœſtæ
Fugêre nurus, fugitque ſuum
Nata parentem.
Hinc gens pelago, gens iam toties
Inuicta ſolo, perit infelix,
Dextraque ſuum præuenit hoſtem.

Qui aſello pridem ſurdo fabulam narrar videbantur: vtriſque pariter inuiſi. Ac tur Martem intra oppidum admiſerant: & quidem ſua ſponte; Miles quippe, rerur omnium egenus, quis & vnde incertum ſumma vi conſcribebatur. ei ſalus ciuiur & vita, ne quid detrimenti caperet, com mittebatur. Is matronam honeſtiſſiman ciuitatis eius Curiam, ſeruabat: cujus tur amore vtrinque multi deperibant. Nequ id mirum nobis videbatur, ſed amicos ar te homines ac graues, tanquam gallina ceos, committi. interim ignotis dominar cum tanta dote credi. Si qui autem vnur pedem extra ciuitatem nati eſſent, per grinos dici. Quaſi non vbique homin naſcantur, ſicut fungi. Inter quos & m haberi a quibuſdam equidem non ignora bam: cui, extra vnam felem, nemo in h ciuitate natus eſſet. quam immenſis par ſangis anteibat pſittacus, quem in delici habebam; peregrinum quidem animal, ſe

el

elegans ac ſpecioſum. Nam cercopithecus, quem fuiſſe nobis in delicijs pleriq; ſciunt; æquam omnibus mortalitatis legem antè annos aliquot explerat. Et hoc poſtquam illi rite à nobis parentatum, nemo jam ignorat. Ego autem, primo, niſi fallit ratio, ætatis meæ anno, natus ſum. Atque in ſpacioſa quidem domo. quam, vt Varro loqui amat,

quinque altiſonæ
Cingunt Zonæ.

Sub eodem cœlo, quod Diogenem & Alexandrum olim inuoluebat. Vel, vt more vulgi agam, in latiſſima Belgarum vrbe, in qua maximus Belgarum princeps olim natus. cui peregrinitatis litem nemo, ne hic quidem, mouit. Tertio huc ſum aduectus, vbi & amicos repperi complures, & inſigni comitate obſtrictus hæſi: etiam affinitate vrbi florentiſſimæ innexus. Vno de viceſimo ætatis, more æui vſitato, chartas vacuas conſcribillare cœpi, & in vulgus ea dare quæ excogitaſſem. Quo ſucceſſu, norunt multi. Sycophantas enim hic non tango, qui cum cano capite, in vagitus noſtros & infantiæ crepundia, ſtribliginem ac virus ſuum, vltro effuderunt. Illud addam, ita, quod rariſſimũ eſt hac ætate, Muſas habuiſſe, vt nec vnquam precio proſtarent,

neque os cuiquam aut exiſtimationem læ-
derent. Denique, quod vnum jam deeſſe a-
mici querebantur, ciues in hac vrbe fabri-
care cœpi. Sic a λαρισσοποιὸς, inquili-
nus ille, factus ſum. In eadem Lunæ regio-
ne, literati quidam ambulabant: viri ſin-
noxa equidem ac dolo. niſi quod nonnul-
los malum inſanabile ſuſpicio afflarat, au-
infenſi ſibi mutuo, ſuſurris ac libellis, fa-
mam aliorum proſcindebant, & ab ijs iti-
dem proſcindebantur. donec inter ſe colli-
ſi, ſibi animi dolorem, alijs ludibrium para-
rent. Neque intelligebant, diſciplinas ſuas
quæ contemptu tanto & inuidia premun-
tur, magis ſic ac traduci ludibrio exponi.
Quidam domi deſidebant, & conſpectum
generis humani fugitabant,

b Φυζακινῆς ἐλάφοισιν ἐοικότες.

tutæ tantum ſub vepreculis nitedulæ. So-
lem enim & humanos oculos non ferunt.
Bellerophontis arbitror vos morbum no-
ſe. Is nunc popularis factus eſt. Homini
occurſum metuit, vt quiſque ſapientiam
limine conſpexit. Hæc dum ſatis curioſ-
in

---

a *Lariſſarum procreator*, hoc eſt, *ciuium*.
Vide Ariſt. Polit. 3. b *Fugacibus ceruis ſi-
miles*.

intuemur; ecce tibi rumor ſubito adfertur, omnibus qui laude literarum in hac Lunæ parte ſe cenſeri vellent, publice indici, vt in armis ante occaſum Solem eſſent. Atque vt Somnus rerum omnium, nõ mirus modo ſed & ſubitus eſt hiſtrio; jam inſtructum ibat agmen. Ibant viri, literis & eruditione graues; omnes, ſi quid eueniſſet, probe ad curſum adornati: niſi quod quibuſdam ſtylus & libelli, quos geſtabant ſub axillis, oneri futura putabantur. & in primis gladij protenti, quibus libertatis ergo ſe accinxerant. Me, qui fugiendo nemini æqualium fuiſſem conceſſurus ſi ad manum res veniſſet, equus bicolor portabat: vt ſaluti meæ alienis pedibus conſultum irem. Inſigni quippe clauo pedem alterúm trahebam, quem ſecando ſæpe, fruſtra chirurgorum manus fatigaram. Cæterum, cum nihil præter hoſtem nobis jam deeſſet (quippe acies ex arte jam deſcripta erat: equi enim ſigillatim, aſini turmatim incedebant) ecce tibi literatus quidam tympanum impellere: alius inflare tubam; vt exaſperatos per ſe animos, conſueto Martis cantico ad arma magis inflammaret. Interim, qui primi ſemper ordine incedebant, verecunde excuſari poſtulabant ſe in acie. *Nam neque vnquam ſtudioſos ſe fuiſſe corũ, quæ ab hoſte*

 gere-

gererentur, cum præſertim animi accreſcunt. & frequenter audiuiſſe, Neminem in bello bis mori. neque quicquam verius Homericum Achillem dixiſſe. Sed & meminiſſe, magnum eſſe vitium ineptam curioſitatem: quæ, πολυπραγμοσύνη *diceretur.* Enimvero, jam murmur increbeſcere ingens atque inconditum, jam depoſcere nonnulli hoſtem, neque moram ferre. Sed tum demum omnes mecum ſomniare intellexi. Nemo enim erat qui nos oppugnaret.

Toto paſsim ludit in orbe
Deuius error. Nec rude tantum,
Vèntoque magis & ſollicita
Fluctibus vndæ mobile vulgus
Aura demens fertur inani:
Fallunt etiam ſuprema fidem.
Vix excludunt Morphea totum,
Et te nullum falſis vnquam
Poſituré modum Phantaſe rebus,
Aurea puræ tela diei.
Nec cum tenebris nox ſola tua eſt.
Credite, ſemper ſomnia verſat
Genus humanum: ſeu ſpes animum,
Seu timor ingens, ſeu verſat amor.
Nec niſi mortis, falſi ſpecies
Quas vita parit, finiet hora.

Igitur, dum iſto modo in calamitate temporis

poris elapſi adhuc hæreo, adeſſe quidam nunciatur, qui de rebus maximis referre ad Lunam vellet. Quem dum aliquamdiu cupide manemus; intrat ecce tandem juuenis formoſus cum prolixo ſyrmate. Inter admirationem & ſtuporem, ex aſtantibus intelligo, Cometam eſſe, qui hoc anno viſus, oculos multorum in ſe & ingenium conuerterat. Ibi ego, qui, ex Stoicorum mente, animas intelligentes dici intellexeram, Dij te, o crinite, ament, inquam. vnde? autem, & quo tandem? Et quid Anaxagoras nunc agit, qui jam pridem cœlum vniuerſum, e lapidibus, vos autem, e concurſu planetarum, conſtare dixit? Et, Satin' ſalua nunc vbiq; omnia? Totus enim orbis menſes aliquot defixus in te ſtetit. cum nec nouum ſit quod agis, & in terra multi, ſicut tu nunc, caudam trahant. Porro, quis illorum proxime ad te accedat, dictu haud perinde pronum. Nam & omnes qui labore magno opes parant quas aſſeruant, & qui minus ſapiunt quam pueri cum amant, & qui alienum limen dignitatis alicujus cauſa aduoluũtur, aut inepte orbos ſpe hæreditatis colunt, idem agunt. Quod ſi vnus tantũ apud nos auarus, aut ſuſpicioſus, aut ſubſeſſor alieni thori, qui ſe domi expedire poteſt, aut amator demens, anno decimo conſpicere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tur, omnes eo, tanquam ad ſpectaculum, concurrerent. Nunc ſatietas erroris & dementiæ, abſurditatem pariter & admirationem tollit. Atqui, neque eos qui *a* Pogoniæ in veſtro genere dicuntur, homines deſiderant: neque qui *b* Ξιφίαι apud vos dicuntur, qui ſe prima quaque occaſione aduerſus hoſtem, quem ignorant ſæpe, gladio accingunt. Nam *c* Ceratias quod attinet, omitte, quæſo te, delicias, & caue tam ignarus ſis noſtrarum rerum, qui in ſpecula totius orbis conſtitiſti, vt non plures inueniri putes hic quam ſingulos. Quod, ni fallor, apud vos ſolenne eſt. Ne hoc ſirint noſtræ fœminæ, Dii boni, quarum comitate factum eſt jampridem, ne Genucius ſit fabula.

Ille nihil: nec me quærentem vana moratur.

Sed ad alia digreſſus, Quanti triticum nunc, inquit, venit in Batauia? Quanti autem vinum hornum? Et an ſatis piſculentum apud vos eſt mare? Ac poſtremo, quot hic annus chartas inclementer perdidit? quibus nemo apud vos nunc parcit. Nam de Anaxagora quod moues, vt præfiſcine hoc

a *Cometæ ſpecies.* b *Cometæ ſpecies.* c *Cometæ ſpecies.*

hoc dicam, virum optimum fuiſſe noris. Et hunc tractum vides, vaſtum atque ingentem, qui à ſacro oſſe noſtro, vſque ad caudæ centrum, multis millibus excurrit. Is, vt ſapere aliquando diſcas, ſeptem vrbibus immenſis habitatur. Quarum primam Cyrenaici, earum cæteras, Eliaci, Megarici, Eretrici, Cynici, ſextam Dialectici, poſtremam Stoicorum quidam tenent. Omnes equidem planetæ meri; paucis admodum exceptis. Omnes enim Veritatem quærunt. quæ occurſum ſingulorum metuit ac fugit. Creditores ejus eſſe dicas. Epictetus enim, vir innocentiſſimus, cum paucis ejus ordinis ſeorſim agit. Plato autem nunc Ideam duxit, & in ciuitate ſua viuit. Vbi

Commune quiduis; liberi, conjunx, bona.

Stagirita autem veſter, ad pomœria ſcholarum annos centum relegatus eſt. quia in cœleſti prouidentia non parum cœcutiſſe dicitur. Interim Motorem ſuum quærit, & de Anima nõnihil in conſilium abire dicitur. Bonus autem Clazomenius (de Anaxagora me loqui vides) ſine pedibus, ac brachiis, manibus ac ſuris, in a ὁμοιομέρειαν conuerſus eſt. Feſtiui autem (talis enim voluit

a *partium ſimilitudinem. ex qua, omnia eſſe facta, Anaxagoras docebat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

luit videri) anima Democriti, inter atomos in Sole volat. Vbi muſcas & cantharidas ſectatur, aut ciconias prætereuntibus, a tergo, cum cachinno, lepide appingit. Nam collega ejus Epicurus, homo ſemiliteratus, & qui animæ felicitatem ſumma oris parte definiuit, turdos & ficedulas in quarta intermundiorum regione torret. Vbi, magnus imperator, hauſtu lactis gallinacei, aduenientes excipit. Vrbes ſingulas illuſtre quoddam ambit ſidus. Tempore autem certo, omnes pariter conueniunt. plane vt Amphictyones ad Pylas. Quæ res efficit, vt nihil præter eam partem homines mirentur. Et hoc idem Anaxagoras volebat, cum cometam, a σύνοδον ἀστέρων, eſſe dixit. Cynicis ad auſtrum imperat Diogenes: in cæteros imperium Menippus tenet. Vulgus, ac promiſcui e plebe, palam, itidem vt olim, fœdum dictu, Veneri indulgent: palam mingunt, excreant atque aluum ponunt. Quæ cum decidunt in terram, moriones apud vos naſcuntur: copreas antiqui vocant. Quos hoc anno caue. Omnes enim ſcriptitare ſolent. niſi quod mendaciis non delectantur Canes: & hos nunquam genius reſpexit. Nam Eriſticos commemorare, quid

a conuentum aſtrorum.

quid hic attinet? quos nunc omnes in Batauiam migraſſe ſcito. Vbi ſyllogiſmos texunt; non Electras quidem, Crocodilos, aut antiquos illos Inuolutos (quanquam iſtos quoque) ſed malleolos, & faces meras. Quicquid ſupereſt, vinoſi quidam colunt. qui cum ea lege bibant, vt, quod ebrioſis euenire ſolet, ſiti enecentur, lacus ſæpe totos, tota flumina exſiccant. quæ ſiphonibus ad ſe adducunt. Hinc immenſæ illæ ſiccitates terræ: hinc, quod veteres ſitire nos dixerunt, & in Auſtrum libentiſſime conuerti. quanquam hoc, vt noſti, Ariſtoteles non probet. Neque multo poſt, adducta aliquantum fronte, vt majora jam dicturus videretur, iterum ad me conuerſus, Hoc eodem, inquit, anno, omnes furioſi apud vos inſanient. Inter quos, facillime eos eſſe primos fero, qui de Deo tantum diſputare ſolent: proximos ab illis, qui regnorum ortus ac interitus, pendere a nobis arbitrantur. Paulo poſt rogatus, Quali forma mundus eſſet (quoſdam enim circularem) quoſdam coni, quoſdam oui, quoſdam denique, & hos plures, fundæ ſimilem feciſſe, Si de mũdo, inquit, quæris: totus vniformis eſt. Nam ſi A ibi ponas, vbi Sol emergit, B autem qua demergitur, rurſus C qua decurrit, D poſtremo ex aduerſo hujus; facile per

te vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

te videbis, ſicut A ad B, ita ſe habere C ad D, atque eodem modo A ad D, C ad B; itidemque A ad C, B ad D: neque quicquam intereſſe, quin vbique inuenias,

Stultos, auaros, ſycophantas, prodigos.

Et hos quidem, optimis permiſtos: ne quis nobis ſycophanta hic argutias exhibeat. Interrogatus, Qua quis ratione ſubito diteſceret; Si non ſit ſoluendo, inquit. Quid ſit difficillimum hac tempeſtate; Satyrã non ſcribere, inquit. Quid ſtultiſſimũ; Vltro prouocare eos qui hoc poſſunt. Qua re ſycophãtas meos accurate vindicarẽ; Riſu & virtute, atque vtrunq; potes, inquit. Quid viliſſimum hac tempeſtate eſſet; Caſſæ, inquit, nuces, & philoſophi præſtantes. neutri enim rebus admouentur. Qui miſerrimi. Iidem qui probiſſimi. extra ſcenam quippe propriam verſantur: ideoque ſoli nec aſſumunt, inquit, laruam, nec quæ fiunt a laruatis, penetrant. Cur potentiores cæteris Hiſpani eſſent; Quia bellum cum auaris ſæpenumero geſſerunt, inquit. Qui cauendi maxime. Lugduni equidem ſartores, & eorum, inquit, filios cauete. hic jam bis turbarunt. Et hunc, inquit, vides? Video adoleſcentem, inquam, arrogantem, qui ſartoriam exercet. Hic e panno vetere Fauſtinæ nouos, inquit, nunc centones ſuit. quos, v

ſuo

ſuos, callide oſtentat,& popello nouitatis auido inducit. Ille, rerum omnium ignarus, dum

Canit, fritinnit, pedibus impellit ſolum,

ſcruta vilia ac trita, ſæpe jam rejecta, & nonnunquam podicem, vt anus ſimiæ, prudentioribus, cum riſu exhibet. De cætero ſecurus: quaſi, quod in luce geritur, latere poſſit. Quæ calamitatis noſtræ cauſa eſſet. Pyxidem hanc, inquit, habe. caue tamen reſeres aut curioſo oculo pelluſtres. Ita ille cum amplexu vale nobis dixit. Interim ſeceſſum quendam, eo jam elapſo, ad læuam video: cuius, in pariete aduerſo rimam anguſtiſſimam obſeruo. Cui aures vt admoueam perſuadet, quam tenere artes haud innoxias didiceram. Ita enim ſciri poſſe, quid in toto orbe æmuli aut maleferiati de me judicarent. Igitur initio, clamores diſſonos ac mixtos, mox, judicia ac voces ſingulorum propius intelligo. Inter eos alii, pruriginem ſcribendi ac lubidinem damnare: plures, qui, cur toto hoc triennio ignauiæ litaſſem, calide, vt videbatur, ſatagebant. Nonnulli pluſculum, nonnulli nihil admodum tribuere, vt infenſi ſolent. Nonnulli vnctiore ſtipendiolo, nonnulli, ne hoc ipſo quidem dignũ arbitrari. Quales olim magnus Scaliger expertus eſt. ne id

 in no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

in nobis admiretur quiſquam. Quidan
latitare, neque, vt olim, conſpici in aula,
ne ab amicis quidem. Alii, haud ſatis con
mode, in hac temporum acerbitate, ad pa
tes a proceribus vocatum. & dolere ſe,
factum nolle. Erant, qui extinctum pr
dem, inter ſe aut apud alios commemor
rent. Quod non magis quam ſuperio
perſuadebant. Nondum enim expiraſſ
aut publice elatum me memineram. qu
non ſine multis teſtibus geruntur. N
conſultum videbatur, vt inultus teme
coloniam mutarem. Vna erat fœmina, v
cina noſtra, quæ, fuiſſe olim ſedulum
ſtrennuum, ajebat. Ex quo autem dare vx
ri operam cœpiſſem, nugas agere, nec ſat
intelligere, QVID VESPER SERV
VEHAT. Sibi quoque domi eius gener
maritum eſſe, qui nunc, vbi ſecum eſſet, ſ
tis ſciret,

Adprime in vita eſſe vtile, vt ne qu
nimis.

Quidam objectabat, quod ad literas erud
torum, his induciis nonnunquam reſpon
diſſem. quos inuidioſe, Pontificios, indig
tabat. Flandros enim deſignabat & Bra
bantos: apud quos latebat. Quod cum no
negarem, rem mendacio firmabat. & im
mani quidem. Alius diuerſi inſtituti, quo
Amo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Amores adoleſcens edidiſſem. cum nec ſenes plurimos, nec pietatis ſuæ præſules, feciſſe idem ignoraret. Audiebam & ineptum quendam ac faſtidioſum, ex eorum genere quos ſemper ſui pœnitet ac piget: qui præſentibus, dum viuunt, parum æqui, totam, quanta eſt, ætatem, ambitu tranſmittunt. cuius cum ad finem peruenêre, nondum vitæ cauſas inter ſomnum & inertem luxum didicerunt. Is mirari ſe ajebat, quod erectus animo, & acer (ita enim loquebatur) adoleſcens, ſpes & vota Academiarum ſeptis incluſiſſem, nec de magnis aliquando cogitarem. Ac cum dicto, oſcitare ac pandiculari cœpit. Erat & qui æmulatione & liuore miſer vreretur, quod vbique legi noſtra ſciret, neque quenquam eſſe, qui fatuitates ſæculi aut æmulorum leniore animo tranſmitteret. Vtrique, quanquam vehementer properarem, medicinam in pariete reliqui. Alteri, vt ſingulis diebus, cepe oculos inungeret: vt, quamdiu vellet, & vberrime ploraret. Nam, vt amor Heliconis ait,

Expletur lachrymis egeriturque dolor.

Iſti, vt poſt vſitatam in ſtupore priſcis medicis purgationem, & ellebori inprimis vſum, dies tres philoſopho ſe daret. multa auditurum, quæ jam ignoraret. Et præſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tim, contemplationis finem eſſe veritatem, non ambitionem. cujus inſtrumentum eſſe mentem, partem hominis præcipuam, vt Plato quidam, Ariſtonis filius, exiſtimat. Eam autem, plurimos in vola pedis, quoſdam in palato, apud nos & alibi geſtare. qui lurcando, quamdiu viuerent, aut prehenſando, nihil agerent quod homine ſit dignum. Summum enim bonum, licet alii in toga, alii in ſago quærant, alii in foco; minus aberrare, qui petendum crederent ab animo. Inter eos autem, eruditos eſſe. qui quiete ejus caperentur, & hunc excolendum ſuſcepiſſent. Erant duo qui in Gallia errarent, & quacunque occaſione aliquid in nobis ſugillarent: eruditis omnibus inuiſi. Quos cum infra iram meam ſemper judicaſſem, Cur non, inquam, quia bella nunc occaſio, o noſtra, Madaurenſe pharmacum expromis, vt in ſimiam, hunc quidem, illum autem alterum longurionem, in Cumanum aſinum conuertas? Illa, Deos omnes quotquot vſquam eſſent, pariter ac Deas, dejerare cœpit, nunquam hactenus auditum, bis in idem animal tranſire quenquam. Nec aut e reliquiis Nicandri, aut Naſone, id probari poſſe. Et legiſti, inquit, HECVBA IN CANEM, nunquid, SVS IN SVEM? Ne ho-

nor

nori tamen noſtro & exiſtimationi nihil
daret, ſubito edictũ per Prætorem, in hæc
verba, publice pronunciari, ac mox ad columnas Herculis affigi juſſit: BONVM FACTVM ESSE, NE QVIS SCIENS FALLERET NEV FALLERETVR. OMNIVM NVGARVM ME OBLITVM, TOTOS DIES MENIPPAEAS MEDITARI: NEQVE QVICQVAM PRAETER ARGVMENTVM IAM DEESSE. CAVERET SIBI QVISQVE PROVOCARE INNOXIVM AC SPONTE SVA NEMINEM LAESVRVM, SICVT AD HANC DIEM SPONTE NEMINEM LAESISSEM. SI QVIS SECVS FAXIT, AB HAC TEMPESTATE AD OMNES POSTEROS DEINCEPS FOEDVM INTESTABILEMQVE FORE. NAM LIBELLOS, QVOTQVOT IN REMPVBLICAM, IN PRINCIPEM, IN PROCERES, IN OMNES BONOS, AB OBSCVRIS AC FAMOSIS SVMMA INTEMPERIE VVLGANTVR, PVBLICAE AVTORITATI ET INFAMIAE SCRIPTORVM MELIVS RELINQVI. PVLCHRVM VERO ARBITRARI, IIS ME CONIVNGI, QVIBVS OLIM PVBLICE CONIVNCTVS ESSEM, CVM PRAESERTIM, NISI SALVIS IIS STARE PATRIA HAVD POSSIT. INTERIM SALVTEM CERTO IIS ESSE IRATAM, QVI CICADAM ALA CONCITARENT, ET, CVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

NONDVM TVBAE CECINISSENT, AD FVTVRVM PROELIVM ARIETEM EMITTERENT. PORRO, CVM EX IIS QVIDAM ESSET, A QVO CLANCVLVM SILENVS ESSEM NVNCVPATVS, QVEM FACETIARVM ET RECONDITAE SCIENTIAE PARENTEM TOTA ANTIQVITAS EXISTIMASSET, ET QVO NOMINE MAGISTRVM SVVM OMNIS SAPIENTIAE CONSVLTVM MERITO DONASSET ALCIBIADES; NIHIL PRAETER ASINVM RESTARE, SINE QVO NE PEDEM QVIDEM DEVS HIC MOVISSET. VISVM IGITVR, VT EIVS SCRIPTI AVTOR, QVI AD TEMPVS, NON AEGYPTIORVM QVIDEM, QVOD IVMENTI HVIVS PROPRIVM PVTATVR, SED SARMATICA GESTASSET SACRA, ASINVM INDVERET, AC FACETISSIMO SILENO HVIC PROTINVS SVBIRET: MORTE AVTEM OBITA, EX VERITATE LEGIS SAMIAE AC INSTITVTO, ANNOS CENTVM ET VIGINTI, VBI DENVO IN TERRIS NASCERETVR, DE ASINO IN ASINVM TRANSIRET. Vix hæc illa, cum ad pedes aſtitiſſe aſellum video. quem, de ſomnii prolixitate, tanquam de itinere, aliquantulum defatigatus, lepide conſcendo. Ita eques magnus, & qui Roſcio jam bene vellem, in vectore meo ſpatia duodecim con-

ficio.

ficio. quem haud multo poſt, ferocem, & ſeditionis adhuc memorem, quod rarum in hoc animali, iterum dimitto. Sic ad dominam reuertor. quæ, ſermone comi aduentantem & complexu humaniſſimo excepit: cui, poſt ſuſurros totidem, Homericum nepenthes addidit. Quod cum ex præſcripto ejus protinus hauſiſſem; omni vel dolore immunis vel offenſione, mira voluptate animum perfundi protinus aduerto.

Vſque adeo triſtes diſcedunt pectoris æſtus,
Et dolor ex oculis: animoque exacta voluptas
Naſcitur. vt, cum mane nouo, poſt triſtia noctis
Somnia, lux oritur, totiſq; excedit imago
Senſibus, & feſtæ circumſtant gaudia lucis,
Et comitum choreæ, ludique, & plauſus, & omnis
Lætitiæ facies. hoc magni nata Tonantis,
Donum olim, Polydamna, tuum, quæ gurgite Nilus
Facundo rapitur, ſeptemque excurrit in ora,
Accepit, ſi vera fides: hoc pocula furtim
Imbuit, & blandi latices infecit Iacchi.
Ne qua, inter dulces epulas & dona Lyæi,
Erraret, partemque dolor ſibi poſceret vllam.
Protinus abſentem, poſtque altera luſtra vagantem,

Pectore depoſuit, totumque excuſſit Vlyſ-
ſem
Natus, & excuſſo concepit gaudia luctu.
Senſerunt ſocii luſtratæ gaudia mentis.
Ac, velut ætherio delapſa e limine Di-
uûm, (ouantes,
Aſtitit, atque animos ſpes læta impleuit
Et toto emotæ fugerunt pectore curæ.

In veſtibulo, ad dextram hujus loci, ſportam video, de lacunari penſilem. Ex hac Titius, Grammaticus Latinus, homo paſtus hordeo, docebat. cui, præter filiam & vnam conjugem, a forma commendatam, nihil domi prædæ furibus relictum erat. Filiæ Quandoquidem; vxori nomen fecerat Enimuero. quæ, Grammatico abſente, regularum, ſine exceptione, omnium pertæſa, cum vicinis, vino & amoribus ætatem oblectabat. Is, de arte ſua, multa ac præclara nos docebat. Eam cum humano genere eſſe natam. Sine ea, neque loqui poſſe quenquam, neque quicquam ſcire. Ac ne ipſum quidem Tullium, præceptionum ejus omnium peritum ſatis ſibi viſum. In eadem, quaſdam eſſe regulas domeſticas, quæ Græcis Oeconomicæ dicuntur, perpetuas ac certas: quales in re Medica Hippocratis. Vt cum docet, Cornu eſſe indeclinabile. Cujus generis & illud, nemini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

mini, quod quidem ſciret, obſeruatum, Nomina in a bonæ mentis eſſe impedimenta. Vt Lælia, vt Caia. Et Catholica hæc eſſe; quamuis nihil de his Proclus. Hanc eandem artem ſi quis probe intelligat, arcana Rerumpublicarum penetrare: quarum vniuerſa ratio, in *a* primis declinationibus, aut ſub anomalis, lateret. Huc & tria tempora ſpectare. Præſens: vt, quæ ſunt in manibus, conſtituantur. Præteritum: vt, de futuris recte ex eo judicetur. Futurum: vt, quæ euentura ſunt, proſpiciantur. Atque eo, ornatiſſimum doctiſſimumque virum Priſcianum, reſpexiſſe. Nos precati Deos, vt per ſingula diu eſuriret, lubentiſſime diſceſſimus. Mox in proximum dilabimur conclaue. In quo volitabant animæ eorum, qui e terris callidiſſime exceſſerant. Plerique, maximo cum creditorum luctu. Ac Mercurio, qui regnum inter eos duplici de cauſa obtinebat, placuiſſe haud ita pridem dicebatur, vt, quicunque lapſus opibus ac fide vita exceſſiſſet, intra annum hunc vertentem iterum in terris naſceretur, vt rem creditoribus perſolueret. maxima cum plurimorum voluptate, qui Platonicum, quo inferi vtuntur,

---

a *Vide Ariſt. in Polit.*

tur, ignorabant. Quidam ſtudia & mores noſtros lepida vernilitate referebant; neque quicquam ibi non fiebat, quod in terris fieri conſueuit. Ac tum adoleſcens quidam, forma liberali virginem amabat. Dos vtrinque magna. Quæ cum lance expenderetur, viſi ſunt adoleſcenti aſſes duo admodum deeſſe. Vt tantillulo momento dos puellæ alteram excederet. Vbi res cum hactenus hæreret, ac tum forte quidam, nihil minus quam inelegans, aſtaret; ſuaſit, vt maledicum Theologaſtrum quendam, ex eorum genere, qui, omnium judicio, ſcurrarum partes clanculum nunc agunt, & libellos ſerunt, lanci adderet. Eſſe quippe minimi momenti quod deeſſet. Illo autem nihil eſſe leuius. Rebus enim turbidis euectum, poſtquam cætera turbaſſet, & dogmaticorum placita conatu magno euertiſſet, nihil adhuc certo ſcire, nihil certo affirmare. Et hoc neminem jam ignorare. Publice interim conuictum leuitatis, more meretricum, *a* probis eam objectare. Accedere, huc quod nudus jam obambularet, poſtquam auibus Sarmaticis, ex lege interdicti Vti poſſidetis, ornamenta ſua

a ijs qui ex publica autoritate, eam caſtigarunt.

ſua reſtituere coactus eſſet, quæ hic inſolenter juuentuti oſtentaſſet. Poſſe & ſociennum ejus addi. Tantum prouide ac caute capſam adhiberet, ne vtrunque Aquilo hoc ſidere æquinoctii auerteret. quouis enim vento, ac præſertim illo populari, hactenus abreptos, nunc ad Scaldin circumferri. plane

vt plumas auium, papposque volantes.

Atque ibidem, (plures enim noctes dormiendo contrahebam) Hymenæum cani paulo poſt audimus. Chorum ſponſæ deducebat, qui cubilibus cum ea clam non ita pridem conſueuiſſe ferebatur. Quippe venuſtiſſimum, puellæ dicam, an matronæ, decus, more haud paucis vſitato, patre nata, qui ad Ianum nimia credulitate opes confregiſſe dicebatur, extra caſuum incerta, & injurias fortunæ, caſtitatem ſuam collocarat. Itidem vt opes ſuas ſolent qui non ſatis cautum ſibi arbitrantur. Is, vt forte pronubus tum erat, manu eam altera complexus, altera lachrymulas, humidulas, tenellulas, abſtergens, atque ad ſingula ſubſultans, ita infit:

Hymen, ô Hymenæe,
Hymen, ô Hymenæe.
Cernis, vt roſeum polo
Exerat caput Heſperus,

Præco

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Præco noctis, & omnium
Heſperus pater ignium?
Cypridis teneræ comes,
Heſperille, decus poli,
Caſta virginitas tibi
Cedit omine cum bono.
Hæc licet Dea ſæpius,
Ante legitimas faces,
Ante & auſpicium tuum,
Qualis aut Zephyrus leuis
Fertur, aut tenuis vapor,
Ceßit, & extremos fugit ad Æthiopas.
At piæ trepidant nurus,
Et piæ comites gemunt
Interim, & lachrymas parens,
Et pium parat oſculum.
Ipſaque, heu metuens viri,
Horret attonita, ac tremit:
Et magis, magis, ac magis
Flet miſella, premens torum.
Ille autem: ille autem,
Pulchra cum rediit dies,
Iamque purpureo igneam
Tollit Oceano comam,
Inter & teneras nurus,
Inter & comitum agmina,
Dulcia commemorat caſti argumenta pudoris.
Hymen, ô Hymenæe,

Hymen,

Hymen, ô Hymenæe.
Sponſa, jam tenerum moue,
Turturilla, pedem, moue.
Iamque lachrymulas procul
Mitte, & humidulis, mea,
Parce, parce precor, genis.
Parce, non tibi vel leue
Septimilla periculum eſt,
Ne qua virgineum tibi
Blanda vis minuat decus;
Cui nocere nec inuida
Sors queat, neque jam queat
Ira tota Dieſpitris.
Sponſe, nec tibi nunc minus
Pectus vritur igneum.
Sponſe, quæ tibi, quæ tibi,
Quanta gaudia nox parat!
Quas tibi, ſimul aureum
Promp ſerit jubar æquore
Craſtina lux, cœloque atram dimouerit vm-bram,
Quas beate, quot adferet
AVRICVLAS ASINI!

Porro, omnibus his pariter Eutrapelus præeſſe putabatur. Is in parte quadam abdita, non procul, fumos circumſtantibus vendebat. Sed tum orta forte diſceptatione graui ac moleſta, cum non pauci e Senatu Populoque mortuorum inter ſe contende-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

rent, quis minimum obſtrictus eſſet vlli
præter expectationem omnium reſpondit
Eum eſſe, qui in terris animam deberet
quæ, cum res, ajebat, ſit leuſſima, vt Plato
docet, neque vllius precii in debitoribus
nihili vt plurimum hominibus, nemo eſ
qui eam exigat. Atque, ne daniſta quidem
vllus eſt tam fatuus, qui, vel triobolo ob-
latam, pignori ſit accepturus. Ne ſi omne
pariter virtutes & ſcientiæ accedant. inte
quas vix vllam eſſe, quæ, ſi vſitato inte
collybiſtas more expenderetur, minimum
trientem prægrauaret. In emporiis id ſcir
poſſe. In quibus, cum ad pondus cuncta
exigantur, tanti eſſe quenque, quantum
poſſidet. nec ſane pluris. Qua vrbanitat
cum non pauci delectari viderentur, plura
in eandem rem adjunxit. Præcipue au-
tem, vbi nos adeſſe ſenſit. *Atque, o Con-
ſcripti Patres*, inquit, *alios, quod ſæpe obſer-
uaui, alia delectant. Mihi vero, prudentiſ-
ſime æuum exegiſſe is videtur, qui breuiſſi-
mam in terris vitam, quæ bis nulli, vti vo
nouiſſe reor, tranſigenda datur, ſine curis a
moleſtiis de alieno egit. Nam cum pura, ſim-
plex, ac ætherea ſit anima, mirabor equi-
dem ſi quiſquam ita deſipit ac ſtupet, vt a
eam, quid in terra creditores noſtri gerant,
pertinere arbitretur.* Addidit & literas ad
ſuos

ſuos; ſed quæ dormienti exciderunt. Quarum ſumma hæc erat: *Petere ſe ab hæredibus quos reliquiſſet, vt memoriam in terris ſui ſanctam atque inuiolatam colerent. Inprimis autem, vt inſignibus quæ in majore templo dedicata erant, par calcarium adjungerent. Eo ſe honore dignum, quod celeritate tanta creditoribus elapſus eſſet. Ipſi autem creditores, quin ad vnum omnes, fide vt quiſquam optima, decepti eſſent, diſceptari amplius non poſſe. Ac id quidem ita ſe habere, Styga ſe jurare; cujus numen ac relligionem, ne Deorum quidem quiſquam hactenus impune peieraſſet. Ipſis porro Diis ac Deabus, omnibus ac ſingulis ſeorſim, agere ſe gratias, ac ſemper eſſe acturum, quod ante obitum vidiſſet, nondum omnem in hac gente celeberrima ſimplicitatem periiſſe. Cui rei ſe illuſtre documentum maximis indiciis dediſſe.* Addebat in mandatis, vt, ſi cuiquam prorogare viſum eſſet vitam, dum ad idem, vnde ſemel jam profecta eſſent, cuncta aſtra rediiſſent, eandemque vniuerſi iterum deſcriptionem cœli longis interuallis retuliſſent (quem Platonicum vocamus annum) omnibus ad vnum rem ſolutum iri. Iouis quippe & Majæ filio, Atlantis & Pleiones nepoti, Mercurio, ſic viſum. qui non perfunctoriæ in talibus autoritatis a-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

pud Deos Manes eſſet. Hic humanæ curio-ſitatis vitio, opertam pyxidem recludo. In qua nihil, præter fila putria, ac nodos quoſdam, mille modis involutos, &, vt Plauti verbo vtar, contortuplicatos, video. Fundo inſcriptum erat,

LEVES, MINVTAE QVAESTIONES RANCIDAE,

PRIDEM SEPVLTAE, NVNC RENATAE DENVO.

Iuxta, folia Sarmatica jacebant. quibus animal non magnum, facie humana, incubabat. Cætera chamæleontem referebant: quem, mutare ſæpius colorem, fama tenet; niſi quod candorem, vt plerique volunt, ac ruborem, neſcit. Quorum hic ſinceritatis, ille verecundiæ, putatur. Tergo, & ex parte caudæ, quam exilem eſſe voluit natura, literis minutis, ac propemodum jam fugientibus, inſcriptum erat DIES DIEM DOCET. Membris cæteris, CAVETE CHRISTIANI. Egredientem ſomnus ſubito relinquit. Ita domum & ad me reuerſus ſum. Aliquantum ſane præter animi ſententiam ac mentem cum nec gratias egiſſem illi, quæ nos humaniſſime circumduxiſſet, neque pauca eſſent, quæ, e Luna, optima Dearum, ſciſcitari vellem. Ita ergo ſomniare deſtit

multis circumſpectior, qui toto vitæ tempore hoc agunt. Niſi, aut Seleucum, qui terrarum orbem infinitum eſſe dixit, aut prudentiores illo Stoicos, qui animatum, aut Democritum ac Metrodorum, vt de Epicuro taceam, qui plures tradiderunt, aut Hipponem, qui ex aqua (credo, ne cum aliis ſentiret) animam conſtare exiſtimauit, cum non paucis aliis ex plebe ſapientum, vigilaſſe arbitramur. Quod ſi viſa quædam minus cohærere videbuntur; moris apud nos eſt, vt, qui dormit, multum de judicio remittat, nec ad normam, quod nunc quidam ſolent, analyticorum omnia componat. Noui autem, qui & vigilantes ita ſcribunt, vt cornuto capiti, quale eſt Syluani, aut illius de quo paulo ante memini, genas Paſicompſæ & oculos apponant. ea lege, vt aures geſtet, quales habuiſſe Midas fertur. Non eſt autem facies exacta, niſi quæ cum elegantia eſt vniformis, niſi quæ cum corpore integro quam maxime cohæret, niſi quæ vſque ab vnguiculis ad ſummũ caput vno filo venuſtiſſime procedit. Quod in ſomno non ſeruatur. qui in forma ſæpe ludit, ſæpe in modo, &, quod nunc hiſtoricis quibuſdam euenire ſolet, rationem temporis & ordinis confundit. Si quæ prætermiſſa videbũtur; feriis hybernis, vbi ſomno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

iterum vacabitur, cui partes ſuæ, vt feſtiuo Mimo, ab ignauiæ choragio, in hoc theatro dantur; totum quod deſideratur hic, vberius ſupplebitur. Nunc & noctes paulo ſunt contractiores: neque parum ſane feſtinandum fuit, vt ex vltimo Septentrione in patriam redirem. In quo veredarios, ni fallor, longe omnes anteceſſi: quibus menſe integro eſt opus vt conficiant hoc iter.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

EPISTOLA,

Qua agitur,

An, & qualis viro literato ſit ducenda vxor.

Ad Virum Clariſſimum

IACOBVM PRIMERIVM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

EPISTOLA
Ad
IACOB. PRIMERIVM.

DELICATOS vere ac ſuaviſſimos, Primeri optime, verſiculos, quos ante dies aliquot ad nos miſiſti, recte accepimus. quibus ne Muſas quidem quicquã dulcius aut elegantius in Cadmi olim ceciniſſe nuptiis exiſtimo. Tum, quod ſane miror, ſummam rationem habitam accentuum hic video: quæ Gallorum & Belgarum ſyllabas, quod pauci hactenus obſeruant, moderatur. Beatam vero eam Nympham, quã tu famæ & æternitati venuſtate illa traditurus es. Ferent enim annos, ſi quid judico, quæcunque ab hoc genio judicioque condimentum acceperunt. Legi & Latinos; quorum non eſt minor elegantia. Vt mihi quidẽ plane Aſteropæus videaris; vere ambidexter. Nam quid ego de tuarum elegantia nunc dicam literarum ? in quibus cum acumine felici terſa quædam ac nativa ſic venuſtas ac Latinitatis indoles conſpirat, vt qui merito de vtriuſque imitatione deſperaret, vtrumque à natura proficiſci libentiſſime concederet. Idem ſcio judicabit

noſter

noſter Baudius, ætatis noſtræ, vt tu vere, ſummum ornamentum. Sed leporem & feſtivitatem quæ in illo viro eſt, præſentes tantum vident : quia maximam merentur admirationem, quæ ſine vlla meditatione ac cura,aliud agenti excidunt. Inprimis Iambi ; quibus cum antiquitate certat. Quicquid enim illi benigniſſima ſuppeditat memoria, hoc carmen, quia proxime ad ſermonem, vt de eo recte ſenſit Ariſtoteles, accedit, facile admittit: nec varietatem illam dictionis, quam ubique ſimilem & uniformem reliqua, quæ graviora ſunt, deſiderant, ſimillimum ſermoni, reſpuit. contra quam fit in Tragœdia;in qua ſeueritas conſideratur.Atq; vtinam ad reliqua tam reſpondere poſſem, quam de illis tuis judicare potui. Quia tamen vim amicam plane adhibes,o bone,& in re quam maxime ardua ac graui, non tam poſcere conſilium quam extorquere hic videris: age ſane, viro optimo geramus morem. Non vt præſcripſiſſe quicquam videamur,ſed vt de judicio vnius quantum eſt eritque vnquam hominum vere amiciſſimi, conſtare tibi poſſit. Tria ſunt videlicet, de quibus quæris. Primo, Vtrum literato ducendam eſſe exiſtimem vxorem. Secundo, De tua quid exiſtimem. cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tu hic dotem, formam, ac ingenium, mirifice extollis. Et de ſingulis ex aliis non pauca jam audiui. Tertio, Quo pacto haud amandam tibi arbitrer. Primum quod attinet, miratus ſum, vt controuerſum id a te proponi, quod ipſa hactenus dijudicat natura. quæ a communi hominum conditione literatos non excepit, neque ſexu quodam tertio diſtinxit. Quod & antiquiſſimorum exempla probant ſapientum: quorum nemo, ne in maxime ſeuera quidem ac auſtera Stoicorum gente, fuit, qui non barbam quoque & ſupercilium vxoriis amplexibus ſummiſerit, aut in iſta parte a reliquis diſſenſerit. Non quin cælebs forte vixerit nonnemo: ſed quod non qua talis. verum quia hic aduerſus voluptatum ſtimulos præſidii a natura pluſculum, quam ille, accepit: vel quod minus acres ſentit: vel poſtremo, quod amoris ſimulachra diligentius vitare ſolet. Nam hoc plurimum in hac re poteſt. Humanus quippe animus in eam penitus conuerſus partem, quam præclare Imperantem Stoici & Plato dicunt, qua ad Deum immortalem proxime homines accedunt, & in qua ſupremum hominis ac proprium verſatur opus ac officium, a ſenſibus externis ſeparatus, tutum ac immunem a contagione iſta facile ſe

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

præſtat; quæ vt primo ſe per oculos inſi
nuat, ita parte ea quam natura rationi ma
xime oppoſuit, ac cujus pudere omnes vo
luit, reſtinguitur. Cui qui honeſte impera
re nondum didicit, honeſte ſeruiat, ſi vo
let: & ad generis humani propagationem
quod vectigal omnes conſervationi eiu
debent, caſte ac legitime accedat. Adde hi
infinita, quæ præ reliquis ad hanc vivend
rationem invitare literatum hominem de
bebant. Inter quæ vel primo illud loco po
ne, quod plerumque rebus ſuis & domeſti
cis negotiis, dum alibi intentum habent a
nimum, præeſſe, vt alii, non poſſunt. Qu
quo eſt nobilior, eo, cum in ſe reflexu
& à curis iſtis ſine quibus ſe tueri paterfa
milias non poteſt, longius remotus eſt, ec
contemplatur acrius. Quod Democrit
& Anaxagoræ evênit. Quorum, à corpor
& humanis cogitationibus divulſus quaſ
ac averſus, peregre dum eſſet animus, cult
& agellos, ut antiqui notant, pecudes de
paſcebantur. Quare in partem domu
ſane uxor, non illepida, non invenuſta, ne
laſciva tamen, veniat. Quæ poſtquam in
terdiu, curas iſtas minimas, ſed tamen ne-
ceſſarias, in ſe ſuſcepit, noctu matronal
verecundia, quam caſtus ac legitimus ma
riti amor non lubido ſua aut procacita

remit

remittit, grauiores quoque abſtergat, & complexibus ſuaviſſimis, moroſam illam contemplandi voluptatem diluat. Non ut corpus, quod eſt belluarum, defatiget, ſed vt majus deſiderium in animo accendat: menti autem inſtrumenta ſua integra relinquat. Quæ in corpore, non vegeto nõ ſano, aut ſi nimia libido id afflixerit, opus ſuum, ut oportet, exercere, venuſtiſſime Primeri, vix eſt ut poſſit. Iam quid ſuavius, a publico negocio aut libris venienti, quam vxorculæ conſpectus, quam occurſus liberorum, qui ut e parentis ſententia inſtituantur, mature de conditione aliqua eſt cogitandum. tum vero, quia ætas nulla ſatis tuta eſt ab eo, quod hac prima tantum tempeſtive fieri putatur. Turpe enim eſt ſenilis amor, ut Poëta tuus canit. Quod ſi urges, & exemplum mihi, non alterius ſed meum, homo vrbaniſſimus proponis, nec conſilium a nobis modo petis, ſed & inſtitutum pro lepore tuo noſtrum ſerio miraris; pro me pauca loquar, & in ſinum tuum animum hunc noſtrum ſemel candide effundam. Ego, libero, ſi verum vis audire, lectulo ac meo, nihil hactenus beatius, nihil ad Deorum vitam propius accedere putavi: in quo inter ſomnum ac nocturnam cogitationem tota nox di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

viditur, neque ad arbitrium cujuſquam dormiendum eſt aut vigilandum. Ex quo ipſo, cum videtur, ne libellos quidem meos, intimæ admiſſionis ſocios, excludo. Quod in matrimonio, ſi quiſquam, optime vitare queam, & vitandum eſſe inprimis cenſeo. Nullus enim Ariſtoteli eſt locus aut Platoni, ubi ſtola regnum poſſidet: neque quicquam magis diluit amorem, quam auſteræ maritorum noctes & Muſarum pervigilia. Ipſum quoque Homerum, cum corona & unguentis, non e ciuitate, quod volebat ille, ſed e lecto relegandum puto. Et profecto, cum, ſive ipſe Deus immortalis, ſive ancilla eius, mater optima Natura, ſexui infirmiori huic plurima grauiſſima duriſſimaque propoſuerit, adeo, vt hanc ipſam, ſi quam e complexu maritali, re tam caſta, tam honeſta, voluptatem expetit, graviſſimis redimere doloribus, tanquam debito naturæ, ſit obſtricta, quid tam æquum eſt, ô noſter, quam in comitate viri ac lubentia, nonnihil ſolatioli habere mulierculam? Animal ut imbecille ac blandum: ita, niſi quatenus mariti amor intercedit, prope ad calamitatem natum. Cum præſertim huic rei ignaviſſima pars vitæ noſtræ nox ſit deſtinata: ne cuiquam, ſcilicet, diſcedat, quod vxorculæ im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

impenditur. Quare apage iſtos, qui ad lectum, tanquam ad tribunal publicum, accedunt: qui eodẽ vultu conjugi ſe ſiſtunt, quo ſententias pronunciant. Adde eos, qui moroſe nimium ac pertinaciter addicti Muſis, in ſuauiſſimo atq; omnium participe corpuſculo, librorum moles ex inepta conſuetudine deponunt. Nam & iſtos noui. Vere vmbratica ingenia: quibus nimia in literis intenſio ac cura, uſum pariter viuendi adimit ac fructum. Iam nonnulli ſunt, qui ſatis eſſe exiſtimant ſi virum egerint, cum plus ſit agere maritum. Quod in reliqua non tantum vita, ſed & iſta quoque parte latius diffunditur. Itaque ubi tanquam neceſſarium tributum, jus vxori præſtiterunt, iterum de libris cogitant. Cum benignitate potius totius vitæ ac iucunda conſuetudine, quam indicta aut præſcripta ad arbitrium naturæ voluptate, matrimoniũ alatur. quæ in belluis coacta, in hominibus a ratione, quaſi condimenta quædam, delicatas accipit blanditias, a quibus ipſa ſuperatur. Mea autem alia eſt ratio: cui ne hic quidem otioſo eſſe licet, ubi præter ſapientiam amplector neminem. In lecto ſcilicet. Vbi de diuinis ac humanis rebus mecum cogito: vbi, tanquam poſitus in ſpecula, ambitionem fori,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aulæ vanitatem, neque valde literatus neque triſtis admodum homuncio, ridere mecum ſoleo, & judicium de nobis utriuſque, innocentiſſima ingenij hilaritate vlciſcor. Interdum, ne quid mentiar, ex animo & bona fide dormio. Video enim, viros eruditos, & qui nimium ſe macerant, plerunque haud diurnare. Quare operam inprimis dandam puto, ſuaviter ut viuam: vnice ſecurus, ne aut cauſa excidam in foro, aut in ambitu repellar, aut in mari Indico aut noſtro, bonis eluam, ac cadam: aut, dum male neſcio quis noſtra gerit, publice conturbem. Multo minus, ne de dote filiæ, aut patrimonio hæredis, quotquot anni, aliquid diſcedat. quos mortales ego qui aut quales ſint futuri, necdum noui, neque ſcire admodum exopto. Felicitatis hujus meæ ne fortaſſe aliquando obliuiſcar, aut non ſatis talis mihi videar, ut conditionis noſtræ noſmet pœnitere ſolet, Hagam me ſubinde confero. ubi vultus intuor eorum, qui aut calide ambiunt, aut litigant ſollicite, aut miſere excidunt. Quorum numerum ſubduco, & quemadmodum Conſulibus Romani, ita annos ſingulos calamitate ambitionis noto. Neque raro epigrammate aliquo feſtiue iſta rideo ac ludo, quæ prudentiores, ut pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tantũr,quam ſum ego, ſola admirantur. Iam ſi quando ſtudiorum aut quotidianæ lectionis tædium me percipit, corpuſculum ſuauiſſime exerceo. Eſt in iſta vrbe equus, notæ lenitatis animal,ac plane invictæ,tanto robore animi, vt ſtimulos,calcaria, ac flagra, (quanquam & in alijs nonnunquam me exercui) pluſquã Stoica conſtantia contemnat: tam exacta autem macie & exquiſita,vt propemodum jam,quod in equo generoſo commendauit Maro, ſtare loco neſciat. Quem ubi aliquantulum defatigaui,ſine vlliusPrincipis benignitate, Eques domum redeo. aliquanto, mihi crede,alacrior,quam ſi(de quo te nunc totum cogitare reor) ab vxoriis complexibus redirem. Rempubl. autem,& quæcunq; eueniunt in ea, eminus aſſpecto. ut & Sacrum bellũ hoc,quod tot jam annos ſtyli geritur mucrone; veræ tantum pietatis ſtudioſus: quam ex ſacris libris &Theologis antiquis, quos non parum reverenter tracto, hauriendam arbitror. Cætera quæcunque,doctioribus relinquo. Inter quos nonnulli, qui arcana Dei ignorare nolunt. Quaſi parum ſit dare operam ut ſalvus fias, quãquam iſta neſcias quæ Deus voluit neſciri. Mihi vero ſufficit quod illi ſatis eſt. Diſputando autem nec fortaſſe illi placeas, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

plurimos neceſſe eſt offendas. Accedit, huc quod nulla ratione magis veritas involuitur quam qua plerique eam quærunt. Hæc cogitanti (& nonnunquam puer ex Bernardo, aut Hieronymo, aut Auguſtino, cæteriſque viris ſanctis, legit aliquid) ſomnus placide obrepit; nihil minus quam ſollicito, ne poſtridie ſurgendum ſit mane: nam ut plurimum in multam lucem lego aliquid aut meditor in lecto, ſi præſertim nihil ſit in publico dicendum. Cui rei hora deſtinatur. Quæ ubi cecinit, autorem aliquem in manus ſumo. e quo, vultu graviſſimo, inſuper togatus (ne tu nihil agere nos credas) aliquid interpretor. In quo, aut de Hectore, aut Polydamante, aut de Priami majore nuru, diſſero. Interdum horam integram iraſcor Agamemnoni, quod nullo loco habeat Achillem: interdum huic ipſi quod tam grauiter ſuccenſeat. Interdum parricidium Oreſtis, Clytemneſtræ adulterium accuſo. Hæc qui impoſuerunt nobis, nullo modo metuunt, ni fallor, ne arcana Reip. ad hoſtem perſcribamus, aut in ea anxie inquiramus. Fieri autem poteſt, ut nec illis ego ſuam invideam felicitatem. Ita pares ſumus. Mihi vero placet hactenus profeſſio non grauis. quæ ad alia quæ lubet cogitanda ſpacium ac tempus con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

concedit. Hac moleſtia defunctus, domum redeo: vbi in omne ſtudiorum genus animum diffundo. Quibus a contemptu olim facile, ut ſpero, vindicabimur. Neque raro & publicam bibliothecam peto: cujus regni cura, beneficio eorum quibus cura ſtudiorum in hac vrbe incumbit, nobis contigit. In quam ſimul pedem pono, foribus ac vulgo peſſulum cum cura obdo. Ambitionem autem, ac amorem, aliaque id genus, quorum parens eſt ignauia, excludo, atque in ipſo æternitatis quaſi gremio, inter tot illuſtres animas menteſque, ſedem mihi ſumo. tam ingenti quidem animo, ut magnatum ſæpe ſim miſertus, qui felicitatem hanc ignorant. Hujus vitæ ſuauitate mirum hactenus in modum oblectatus, ſi fortaſſe quæris, quare vxorem domum non duxerim: Ita felix mihi hoc quod ago ſit & fauſtum, vt propemodum oblitus ſum. Ea meditationum hararum vis eſt & illecebra. Porro, ut nemini ſum autor, qui ſic poteſt viuere, vt vxorem ducat: ita qui vxorem duxit, ei non ſum autor ut ſic viuat. Alia enim viri felicis, alia prudentis mariti eſt ratio. Tũ & fœminæ ambitioſæ ſunt, ac liberi plerunq; multis egent. Iam ad tuã venio, quod erat alterum. In qua primo om-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

nium de dote agis. De qua jurejurando ut ex animi ſententia me loqui credas, opus non arbitror. Ego, mi Primeri, dotem luculentam, nunquam contemnendam putaui. Cujus quidem tu opinionis meæ cauſam ſi expectas, non te ad philoſophum, ſed in macellũ, aut ad Ianum medium, abire jubeo. Quo cum adueneris, quem quantumq; vſum nummus habeat, ſine præceptore vllo facile intelliges. cujus beneficio ac vſu omnia mortalibus contingunt, præter bona animi: quæ eſſe alibi quærenda, non ignoras. Ad hæc quoq; cum ſplendorem ſuum Diua contulit Moneta; cætera aut confirmat, aut non mediocriter illuſtrat. Quam & comparare ut oportet, & conferre quo oportet, materia virtutis eſt. Ex eodem enim diues fuit Crœſus, liberalis Cimo. qui turmatim pauperes ad ſe vocabat; quos mox bene ac prolixe habitos, ad ſuos dimittebat. In egentes quoque, ſi quos norat, conferebat ſtipem. Qua virtute nihil dignius eſt homine: ut quæ nomen accipit ab eo. Eadem enim & humanitas nonnunquam dicitur. Vt de magnanimitate nihil dicam: quæ cum omnium virtutum ſit regina, ſine opibus tueri ſe vix poteſt. Cætera viuendi quoque officia omitto, quæ ſine iis vix de-

ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ſcribi a Philoſophis poſſunt, tantum abeſt vt ab actionibus nonnullis queãt ſeparari. Quare, qui tantopere Ariſtotelem cõdemnant, quod nonnihil ad felicitatem vſus ac momenti in his ponit, Stoicorum autem nimiam ſeueritatem extollunt quotidie ac commendant, & ſine iis tamen frui iſtis quæ exoptant maxime, non poſſe ſe fatentur; idem mihi facere videntur, quod choragium qui tollunt cum libenter in theatro ſedeant. Nam ſi in contentionem cum virtute veniant aut moribus, cedant ſane: ſi præſertim ea ſit felicitas mariti, vt virtutem conjugis ac mores, ſua ſibi dote ſuſtinere poſſit: quos plerique laudant, pauci imitantur. Nec jam dico, quam ſit homine feſtiuo dignum, ad complexus quoque & oſcula, & cuncta, quæ per te lubenter agas, quaſi ſtipendiolo adduci. ne vel gratis ſcilicet ſis felix. Quo auctoramento, nullum minus eſt moleſtum: ſicut contra nihil eſt miſerius quam procreare liberos, ad quos nihil ex hæreditate tua præter famem peruenturum videas ac ſitim. Adde jam, quod ipſa quoq; Venus cũ culina feruet pariter ac friget. Secundũ erat, Forma: quam in tua cum tantopere commendas, riſum equidem vix tenui. hoc enim ipſum eſt amare. Vellem tamen, quod in primis

dignum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

dignum hac vernilitate erat, ejus nobis definitionem aliquam dediſſes. Næ tu maximam, o noſter, præſtitiſſes rem, & quam hactenus Venerei nepotuli vbiq; quærunt. Inter quos non magis de hac hactenus cõuênit, quam de ſummo bono inter priſcos ſapientiæ conſultos. Sed ponamus tamen aliquid. Frontem tenuem, quam quidam latam eſſe malunt: ſupercilium, quale Iouem olim habuiſſe credidit Homerus, cæruleum: oculos nigerrimos: crines ſumma ſui parte aureolos, ſed qui infra ſupercilio ſi non reſpondent plane, aliquantulum accedunt tamen: quales in Bathyllo ſuo eſſe voluit Anacreon. Candorem exquiſitum, ſed quem rubor virginalis genarum ille pictor, illuſtret potius quam pingat: oſculum anguſtum, quod rubente vtrinque labellorum purpura diſtinctum, dentium candorem quoque plurimum commendet. Nares ſurſum leniter inflexas, ſed quæ a Socraticis quamplurimum recedant. Veſcum corpuſculum, & tamen ſolidum ac ſucci plenum: quod nec mole carnis amplectentem oneret, neque exhauſtum magna ſui parte, offendat. Papillas autem, paruas quidem illas & quæ orbe modico cohibeantur, inſtar vero marmoris, vt vetus loquitur Poëta, conſiſtant. Ne

jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

jam cætera hic tangam, quæ natura tegi maluit. De quibus vos, præclari, ſcilicet, aſtrologi, ex ingenio vultus, oculorum radiis, circumductione oris, ſciſcitari ſoletis. Quid enim non poëtæ poſſunt, qui Dis ipſis dant quod ament, & cœleſtes vultus non inueniunt ſed formant? Quis non in imagine aut ſtatua hæc malit quam in conjuge? Quæ cum vni placuit, tam facile aliorum judicia quam pudicitiám tuetur: & ſi recte eſt morata, vultum minus elegantem cætera emendant aut abſoluunt. Illa vero, quæ, cum prodit, aliorum in ſe oculos conuertit; etiam ſi ſit pudica, ſemper habet quod excuſet ipſa, aut maritus ſuſpicetur. quippe quæ ſuſpicionis cauſas publice circumfert: cui in formoſa quiduis ſatis eſt. Huic adde aliud Naturæ arcanum. quod in florido plerunque corpore, & ſucci pleno, multa quoque copia luxuriat ſpirituum: quam pruritus acer & in Venerem laſciuia conſequitnr. Hanc vero alia non pauca, quæ cum viri eruditi rationibus haud multum, mihi quidem, mi Primeri, facere videntur. De Nobilitate ſequebatur aliquid in tuis. Quæ, vt recte Ariſtoteles, virtus eſt generis, non noſtra. Quare in te quoque eadem ſi ſit, non diſſuaſerim vt ejus rationem habeas. Sin autem, onus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

eſſe ſcito, niſi auro aut agilitate redimatur.
quam vt ſemper æſtimare, ita viris im-
putare ſolent fœminæ. Ne jam de putidi-
tate ſexus dicam: quod perpetuo cum tæ-
dio virorum, avos ſuos atavoſque narran
& loquuntur. Verum de ingenio jam vi-
deamus: quod tu, tum in iis quas ad me de
diſti literis, tum in verſibus, mirifice extol
lis. Scribis, Memoriam illius eſſe ſummam
admirabile judicium, incredibilem ſoler
tiam, ingenium autem, ſupra ſexum: quo
prope in ſtuporem quemlibet abripiat
Martialis quoque verſus plurimos tenere
quos inprimis ſcitę, ſuo quemque loco pr
ingenio expromit. Quare ſeruitutem no
uam creſcere indies, amãtiumq; plena eſ
omnia. ac cætera, quæ diſertiſſimus viro
rum pleno ore prædicas. Neque enim,
quid judico, metuere videris, ne, quod fie
nonnunquam ſolet, fidem habeam tan
large tam facunde commendanti, & riua
lis tranſmarinus fiam. Ante omnia mira
ſubit, quod tam accurate omnia diuiſeris
vt qui nihil in illius commendatione, præ
ter vnicam virtutem, mihi quidem præte
ire viſus ſis. Siue quod hoc totũ nunc ruſti
citas vocatur, ſiue quia vos Poëtæ cætera li
bentius laudatis: virtus autem minus lepi
de extollitur, neque ſemper belle dicitur i

car

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

carmine. Adde, quod qui Elegos conſcribunt, temperantiam ac caſtitatem, primas fœminæ virtutes, vbi ponant non inueniunt. reluctantur enim ſyllabæ. Vt tam male vobis cum matronæ honeſtate, quam poëſi veſtræ cum illius conuenire moribus ac vita videatur. Iam vero, de parentibus hic nihil,nihil de amicis ac propinquis: quæ præcipue ſpectari ſolent. neque ſine cauſa,ſi quid judico. Primo enim plurimum ad dignitatem tuam ac fortunam refert, qui qualeſque ſint hi: ſi præſertim ad majora, quod virtute tua dignum eſt, aſpires. tum ad hoc negotium, quid æſtiment aut ſpectent. Ne tu quemnis eruditioni tuæ aut ingenio fauere exiſtimes. cum pauciſſimi ſint tales; hoc præſertim æuo, quo plerique collybo infectas habent manus: & nunc permutatio in nuptiis, quæ emptionis ſpecies, inſtituatur. Ætatem quoque addis. Annum vndeuiceſimum jam attigiſſe. qui eſt flos ipſe. Et educationem. Aliquamdiu in Gallia vixiſſe. Sed, vt dixi, de ingenio jam videamus. Quod quis non aut æſtimet ſi adſit, aut non optet vehementer, ſi non adſit? Omnes enim æque id ſpectamus. Et in primis inter eos nomen ſemper ſum profeſſus meum. Neque hoc ignorare potes,ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

verſiculos legiſti noſtros, qui jam anno
aliquot multorum manibus teruntur. diu
eſt enim cum fregerunt clauſtra. Addo,
ſicubi ingenioſam video aut eruditam
magis admirari me, quam ſi ab iſtis ſexum
commendari noſtrum videam. Sed quan-
doquidem nec ſemper agimus poëtam, ne-
que ingenium per ſe conſideramus; quid ſi
ego, ſerio nunc tecum agam, & nugarum
omnium oblitus, rem vt habet ordine exa-
minem? Primo autem omnium, ſi lubet
vide, ne quod tu ingenium nunc vocas
ac tantopere commendas, alii proter-
uitatem dicant merito aut petulantiam.
Quam nec damno prorſus, quanquam no-
lim quidem. (ſed quid agas ſæculo inuito?)
Noui quoque citra famæ aut pudoris la-
bem, multas eſſe tales aut fuiſſe: neque raro
poſt Lucinam & familiæ moleſtias mutari.
Neque ego, ne tu cenſeas, Sabinam aliquam
nunc laudo: quæ nihil præter pondus ſu-
percilii pro dote adferat ad virum. Verum
hoc potiſſimum nunc quæri arbitror, Qua-
lis literato homini conueniat: aut, vt ſic
propius accedam, tibi. Non enim quælibet
honeſta. quemadmodum quæ tibi non
conueniet, non minus ideo hoc erit. Abſit
ſane omen. Vt ſi meus calceus, non pedem
meum vrgeat ſed alienum: aut qui factus
eſt

eſt ad alienum pedem, premat meum. Quicquid autem eſt diſſimile aut nimium, vt in Republica ſeditionem, ita in familia moleſtiam creare ſolet. Pulchritudo quoque, & opes, & nobilitas. Quia cum ſuperiores horum aliquo ſunt fœminæ, ſimpliciter ſuperiores eſſe volunt. Vt imperium affectent in familia: ſicut ciues in Rep. Ideoque medii in Rep. tantopere laudantur. qui nec cauſam dant ſeditioni; & ab vrbe eam facile auertunt. Tranquillitatis enim ſimul fundamentum & remedium moleſtiarum, mediocritas. Et eodẽ ſane modo, mariti imperium ad fœminam, quo Principis transfertur ad populum. Tamen de ingenio quandoquidem nunc agitur, velim primo omnium, quem ejus vſum eſſe exiſtimes in fœmina, reſpondeas: ne aliud agamus. Nihil enim fruſtra eſſe expetendum noſti: & ad finem ſuum cuncta eſſe referenda, homo doctiſſimus neſcire non debes. An in Senatu ſententiam vt dicat? An vt verſum æque elegantem ac tu ſcribat? Nihil horum credo. Ergo aliud in ſenatore, aliud in patrono, aliud requiri vides in poëta. Et hoc ipſum cui id requiritur, nos opus ſingulorum dicimus. Sicut aliquod eſt equi, aliquod eſt hominis, aliquod eſt patris, aliquod mariti: & in homine, aliquod oculi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aliquod pedis opus eſſe dicimus. Hoc tu forte credis, choreas venuſte vt ducat, facunde de ſingulis vt diſſerat, ſubito & præter] expectationem vt reſpondeat : verſus Martialis commode & ſuo loco expromat : ſchacchiam quã dicimus, aut aleam, ex arte ludat: conuiuiolum lepore ſuo condiat: voces liberiuſculas pima vt excipiat, prima intelligat, prima oculis retorqueat, nictet, argutetur, annuat. Nam hæc noſtras Veneres commendant: neque parum nos, vt verum fateamur, oblectarunt olim quanquam in hac parte nunquam pudicitiæ modeſtiæque limites egreſſus ſum. Primum igitur, Primeri noſter, vide ſodes quã nunc tecum agam candide. An tu quicquam horum, aut Gnath:enæ, aut Glyceræ, aut Phrynæ defuiſſe, aut Laidi exſtimas? quarum argutiolas non paucas & venuſta dicteriola, libro fere integro recenſet Athenæus. Quæ ſi tu percurras, metuo ne tua parum tibi jam ingenioſa videatur. Vt omittam, plurimas earum literis mirifice, ac præ cæteris, fuiſſe inſtructas. Dices, Atqui quæſtum corpore feciſſe has quidem conſtat. Hoc eſt quod volebam. Paucæ enim ſunt, quæ, quid nõ liceat, intelligunt: paucæ, quæ non admodum anguſto limite imminutam & virginem diſtinguunt.

Cæte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Cæterum, quodcunque aut faciant aut di-
cant, parum intereſſe credunt: nec referre
putãt quibus moribus ſit caſta. Sunt igitur
in ea vrbe in qua tu nunc amas, & dotatæ
plurimæ & honeſtiſſimæ, quibus nihil po-
teſt objici, niſi quod fortaſſe pluſculos in
ædes, aliquos in animum admittunt. quod
fit crebra conſuetudine & vſu. in quibus
nihil tam timendum, quam quod ſunt in-
genioſæ. Quas plerique accedunt, non vt
ament, ſed vt ſe oblectent. Quis enim non
vernilitate iſta capitur? Neque ſane mi-
rum, homines forenſes alioſque, poſtquam
paria cum vitæ muniis fecerunt, quærere
vbi ſe oblectent: aut, vt moleſtiam depo-
nant, non ſeueras neque graues, ſed argu-
tulas ſectari. Quam virtutem ideo in ver-
nis magis quam in liberis Romani æſtima-
bant. Illæ vero, hercules, quantumlibet
verſutæ, ne hoc quidem vident; non amari
ſe ſed oblectare. Quare ſperant ſemper &
faſtidiunt: inque vicem ludunt alios, ab
aliis luduntur. Igitur, ſi interim conditio
ſe offert, & honeſta, neque indigna de qua
cogitetur, ſi præſertim literatus ſit atque
eruditus (tua enim res hic agitur) ibi om-
nes illi, ſæpe inepti putidique, & qui literas
non norunt quas oderunt, ideoque grati
ſunt præ illis, in conſilium vocantur: niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

vltro ſeſe ingerant. Similes autem cum ſimilibus facile congregantur, Solis quippe iis artibus obſtrictos puellarum ſibi habent animos, quas vel qui procantur ſerio, non diſcunt, vel qui didicerunt; jam mariti, malunt obliuiſci, etiamſi non coguntur. Interim labuntur anni: perit occaſio: diſcedit formæ,quantum ad ætatem accedit. Alibi plus licet. Voces liberæ,oſcula obſcœniuſcula, colloquia ac nutus oculorũ, motus impudici,contrectationes parum verecundæ, papillarum oppreſſiunculæ, etiam expetuntur: quæ ſpectari hodie ſe gaudent, & amantis oculos laceſſunt. Hederam ſuſpenſam dicas; Vinum venale eſſe. Guſtus datur. Cætera quid? Inter bonos bene agier oportet. fere promittuntur. Si qua minus ſibi fidit, carbaſo, ſed tenuiſſima, ſororiantes leuiter obducit. ne reſtinguat deſiderium,ſed acuat. Vt ſi fuſca cutis expectationi non reſpondeat, velata amplius promittat. Sunt quæ feminalibus Gallorum more vtuntur: quæ neceſſitati,vt ſoluantur quoties natura flagitat, vtrinque patent. quod vel conſuetudo, vel patria, vel vſus, nonnunquam valetudo, excuſat. Neque ſane hoc reprehendo: neque quicquam magis, etiam in aulis, vſitatum.Sunt quæ penitus, vt nos, braccatæ
ince-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

incedunt. Atque ita mane, cum e lecto ſurgunt, aliquot, exemplo noſtro, ſpatia conficiunt: quibus amiculum inuitæ aut tunicam inducunt. Iratæ nempe, quod non ſe quoque mares fecerit Natura. Ideoque ſexum ſuum fugiunt ac lugent: viros imitantur ſimul & exſorbent. Nam quid ferrum illud dicam, quo honeſtæ etiam vtuntur: quod cum veſtem ſupra aluum ad poſteriora pariter extendit, ſi quid latet illic, facile diſſimulat aut celat, & virginitati lepide patrocinatur? Dignum eo tempore inſtrumentum, quo diſſimulamus crimina, non fugimus. Ne jam de libellis quicquam dicam, quos in ſinu geſtant, & quotidie alios atque alios, aut poſcunt, aut, ſi dentur, non recuſant. Quibus dum lubido puellaris non ab vno aliquo accenditur aut irritatur, nos ab uno aliquo reſtingui poſſe exiſtimamus. At plerique, etiam feſtiuitatem hoc aut jocum vocant. Quaſi vero non jocando fieri majora quoque ſoleant: aut graue ſit hoc opus quo virginitas minuitur. Sed corruptus nimia licentia, aut (quod nunc fit) exemplis vitæ, muliebris animus, quo præſidii in ratione minus habet, eo, ſi impellas, ad lubidiné procliuius magiſque fertur: cum præſertim ab ingenio ſcintilla, ab educatione adeſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

libertas, qualis eſt plerunque tranſmarina. Hinc querelæ conjugales, ſi ſuſpicioſi ſint mariti, aut, ſi ab vxoria omiſſiores cura, primo omnium ingratæ, mox inuiſæ quæ per ſomnum tranſiguntur noctes. Hinc ſine cauſis odia, ſine occaſione ſimultates. Si quid poſtulet maritus, torua ipſa & ſeuera: hoſpes ſi excipiendus, triſtis ac moroſa. Quæ res generoſæ menti plane; intoleranda. vt jam reliqua omittam. Poſtremo, niſi palleat vir quantum volunt, aut ſi jacuit auerſus, ad vicinum itur. Senſim enim eo ac per gradus deuenitur. Primo quippe, alienæ a marito, nihil maius adhuc audent. Cæterum, vbi ſemel honeſtatis tranſiere limitem, vel audaciam a ſucceſſu, vel a ſcelere ipſo, ſi ſit manifeſtum, ſumunt confidentiam. At Poëta noſter, optimus ac diſertiſſimus, canoros verſus meditatur, aut ſecure ſtertit: vel Tibullum ſuum & Naſonem cuculus percurrit. Interea

Speluncam Dido, dux & Trojanus, eandem
Deueniunt.

Nam hoc totos dies audiunt. Ridere autem vitia, & in vitiis rideri, primus ad peccandum gradus & ſuprema ſimul ſæculi licentia eſt. Nec deſipiunt, ſi verum volumus fateri, quæ, cum viros, aliorum alios ridere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ridere probra ſentiunt, maritos ipſæ clam eludunt,& hoc agere videntur, ne benigna illis vel feſtiuitatis vel leporum materies deeſſe poſſit. Quæ non ab ingenio hic tantũ ſuo, quia rem occulte gerunt,ſed & noſtro ſe abſolui judicio intelligunt. Hæc tu verba eſſe exiſtimas & voces? Ego noui aliquot, qui nihil credunt eſſe verius. & tacent. Vt de reliquis nunc nihil dicam, quendam genere optimo prognatum, qui non ita diu eſt cum ad plures abiit. Is ergo,terſos adeo, Primeri noſter, adeo venuſtos,addo & Latinos,verſiculos ſcribebat, cum non pauca eſſent alia a quibus commendari poſſet; nihil vt toto vitæ tempore,egiſſe aliud aut cogitaſſe, videretur. Vocatus autem quodam tempore ad conuiuiolum cum eſſet, euênit,vt puella quoque ibidem eſſet, mire arguta ac venuſta. Myrothecium Veneris, leporum omnium ac elegantiarum effigiem,homo factus ad poëſin dixiſſes. Vultu autem ita emendato ac feſtiuo, nihil vt amari vlterius a quoquam poſſet. Accedebant oculi (Dii boni quales!) voluptate ac illecebra pleniſſimi; aucupium amoris. Oſculum præterea exiguum. quod, veſtibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem, tuo more, in carmine vocares. Enimuero, pedem in choreis ſi quando poneret, præter

ipſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ipſam artem ita lubrice ac agiliter ſaltare erudita, ſingula vt membra, non moueri ſed aut fluere aut natare diceres. Hic quid faceret, primum adoleſcens, tum, quod rei caput, poëta; benigna in amorem, ſcilicet, materies & prona? Primo ſcribere verſiculos, mox & amore ejus deperire cœpit. Quid multa? Ambit, & poſt menſes aliquos exorat: homo opulentus quidem ſatis, ſed qui durum atque illepidum in liberos parentem, tum adhuc ſuperſtitem haberet; nouam matrimonii calamitatem. Cæterum; cum & ille aliud plane ageret, illa autem virum in lecto, non poëtam in carmine deſideraret, cœpit ei cum vicino quodam, homine viliſſimo, ſed admodum robuſto, belle conuenire. Interim optimus ac ornatiſſimus vates, Iliada & Vlyſſeam totos dies cantillabat, aut fortaſſe Diuæ Caſtitatis Hymnum ſcribebat. Τὸν δ᾽ ἀπαμειβομένη illius conjux, in alterius amplexibus aſſidue ac diligenter verſabatur.

Nec miſero prodeſſe in tali tempore quibat, quod Elegias terſiſſimas conſcriberet, & verſiculos, Ouidiano more, alternos (nã religioſe id quidem obſeruauerat) diſſyllabis concluderet. Noctu autẽ quoties jus ſuum peteret maritus; illa, vt plurimum, cun-

ctando,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ctando,& lenonia difficultatis arte, honeſtatem ſuam,quam proſtituebat foris,apud virũ tuebatur. Quod ignauiæ illius tædio, nõ caſtitatis ſtudio,fiebat:quæ vnius viri in matrona cultu ac obſequio cẽſetur. Ille interim, ſi quando cũ amicis animũ laxaret, cũ præſertim aliquantulũ maderet, de pudore conjugis & caſtitate,totos dies pejerabat.ſępe, ne abſente quidẽ illo,qui menſurã corporis illius, juxta ac maritus, cognitam habebat ac perſpectã. Multa in hoc juvene convenerant, quæ conjugii ſerenitatẽ ſingula turbare poterant. Meditationibus aſſiduis, neque dies neq; interdũ nox ponebat finem. Quemadmodum avarus fœnori, ita horas omnes & momenta cogitando aut ſcribendo deſtinarat. Iam, incredibilem vigorem animi, ætate prima ad lubidinem appulerat. Quo hoc conſecutus erat, vt ex illo priſtino ardore, nihil præter vitæ cœlibis impatientiam haberet relliquum. Cætera conjugii præſidia, inpri-mis ilud maximum, ante ipſum jam conſumpſerat. Quæ res,optime Primeri, ſicut corpus, ita animum diſiungit atque auertit.Itaque in præſenti re cum verſaretur,& jam viro eſſet opus, cõtinentiam aut temperantiam, plerumque commendabat. Et vt hoc vxori perſuaderet, e Platone ſuo

aliquid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aliquid aut Ariſtotele de ſummo bono & intenſione mentis adferebat: animo paratus miles, ſed quem aliqua (quod fit, quoties lubido annos antevertit, ac mox deſerit) calamitas attigerat. Interdum quoque locum aliquem Pollucis, ſcilicet, aut Feſti, a ſe emendatum cum gauderet, ne hoc quidem apud conjugem diſſimulare poterat. Cæterum matrona venuſtiſſima, verũ quæ in Ariſtotele ac Platone nihil vnquã legerat, ſed & de acumine & ſagacitate Criticorũ, nihil audiuiſſe videbatur, vnius loci emendationem ſerio optabat. quem corruptum eſſe & in vitio jacere, ne ipſe quidem ſummus Criticus & optimus Poëta ignorabat. Sed, inuita Venere & Minerua nihil fieri ſolere noſti. Prima autem nocte cum hilaritati & Lyæo patri indulſiſſet pluſculum (quod nec ordine nec recte a quibuſdam fieri videmus) illa autem pro virginitate, vt putabat, & vt mos eſt puellarũ, vltimum certamen cerneret; ibi vates diſertiſſimus, qui tam ſæpe *Hymen Hymenæe*, apud collegas ſuos legerat aut ipſe ſcripſerat, oblitus oris purpurei, cujus laudes decantauerat, oblitus genarum, quas cum niuibus ac minio toties contulerat, cæterorum omnium oblitus quæ referre mora eſt & adhuc in ejus carmine leguntur,

tur, nihil quidem ſe indignum fecit, ſed dormire cœpit: integramque, quanta fuit, noctem, bene ac pudice, grauis ac moleſtus nemini, tranſegit. Mane autem, aut, quia de poeta loquimur, vbi

Purpureis formoſa genis Aurora ruberet,

cum nullius ſibi eſſet conſcius facinoris, & ex conſcientia inertiæ puderet, audiuiſſe ſe ajebat, cum dolore calculi ſolere eam conflictari: cui omnes agitationes corporis inprimis eſſe aduerſas. Id ex viro docto, Coo Hippocrate, ſe didiciſſe. Ea re commotum ſe, aduerſus animi lubidinem, abſtinuiſſe illa: quippe qui illius valetudini conſultum vellet. Atque ita ſummus vir, neque contemnẽdus Themidis ſacerdos, præcipua duo Iuris præcepta, vna nocte expreſſerat. Nam & vixerat honeſte, neque quenquam læſerat. Suum autem cuique an reddidiſſet, quæri poterat. Mucius, ut reor, & Trebatius negaſſent. Idem autem & vxori ejus videbatur. Quæ pertæſa tandem huius conſuetudinis ac vitæ, domi eruditas, alibi feſtiuas noctes agitabat. Poëtas autem omnes oderat aut torvo intuebatur vultu,

Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.

Me quoque inter eos, quoties ad virum eius ventitarem. Quaſi vitium in carmine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

non autem potius in viro eſſet. Ad Martialem quod attinet, ſcriptor terſus, elegans, venuſtus & acutus eſt. Quæ in eo autem ſpurca ſunt, improbitate & flagitio, vtilitatem, quæ e reliquis percipitur, excedunt. E quibus quædam, ſine abominatione & horrore, ab honeſto viro legi non poſſe judico. Tantum abeſt, ut in fœminarum manibus, abſque detrimento pudicitiæ, verſari poſſe exiſtimem. Ne jam dicam, parum eſſe in eo quod ad proprium matronæ munus faciat. id enim a poëſi, niſi fallor, quam longiſſime recedit. Adeo, vt ne Sapphonem quidem quamuis ejus qui de multis pauci hodie verſiculi leguntur, ipſum nobis ſuauitate ſua animum excutiant, ſi jam ſuperſit ambiendam nobis credam. Nam Phaonem, aut, ſi viri nulli eſſent, vel Sicelidas vel Lesbidas timerem. Hoc ingenio profecit quippe, vt nequitiæ illius ſexus noſter non ſufficeret. Timerem autem, ne, ſi meram poëtriam duxiſſem, etiam prandendi nobis ac cœnandi verſus eſſent: aut ne liberi communes immunditie perirent: aut poëtæ potius quam boni cives, educatione aut imitatione matris fierent. Quæ profecto re & vſu diſtinguenda ſunt in vita. Pauci autem oppido ex ij

ſunt quos Muſæ totos vindicant, qui ludibrium non debent, cum a libris abſunt. ne tu aliud a fœmina expectes. Quare ut Ariſtoteles, alias in ſeruo, alias in domino, alias in fœmina requirit virtutes, ita mihi alia amica, alia placeat conjux. At Poëtæ, poſtquam in Propertio Cynthiam, in Tibullo Deliam legerunt aut Nemeſin, quas proſtituiſſe formam confitentur etiam qui laudant, eaſdem carmini & vitæ ſuæ convenire arbitrantur. Digniſſimi mortales, qui tam caſtas habeant vxores, atque eorum, quos ſequuntur, dominæ fuerunt. Itaque non raro euenire ſolet, ut quo quiſque eſt eruditior, eo magis ſub imperio vxoris viuat. Neque mirum. Nam quemadmodum Lacænæ, quod eſt apud Ariſtotelem, dum in caſtris degerent mariti, jus eorum & autoritatem ſibi vindicarant: ita iſtæ, viris aliud agentibus, hoc eſt abſentibus, familiæ imperium invadunt. An tu autem domi eſſe cenſes, qui nunc in Homero, nunc in Seneca, aut in Platone (noui enim qui ſic vivunt) ſemper habent animum ac mentem? qui nunc Romæ, nunc Athenis, aut, ſi ad recentiora animum dimittunt, in Britannia, aut Gallia, aut India vagantur. aut, ſi nihil legunt, tamen in Parnaſſo aliquo aut Helicone aberrant, & præſentes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

etiam plerumque abſunt?

Qui mihi vbi ad vxores ventum eſt, tum
fiunt ſenes.

Vnde faſtidium primo, mox contemptus: ſi præſertim ſint dotatæ aut liberius edu-ctæ, quales vos vt plurimum ſectamini. Ita ſæpe euenit, venuſte noſter, ut dum iſti ve-ſtri, ſapientes ſane ac eruditi viri, in-frequentes ſunt ad ſigna, illæ quoque, ne-que inelegantes neque inficetæ, alibi ſti-pendia clam faciant: voſque, publica & vbi-que nota nômina, ne priuatas quidem ſæ-pe vxores habeatis. Aut ſi ſint honeſtæ, e-tiam amaræ ſint & viro graves. Neque ſi-ne cauſa. Vos enim nihil præter numeros & pedes cogitatis. illæ autem peſſimæ, in lecto pedem tolli volunt. Quare vt feſtiue & improuide amatis, ita ſæpe vxorem du-citis. cum nihil magis ſerio agendum quam quod poſtea mutari nequit. Ergo vbi ſemel jugum boni viri, tanquam aſini aut boues, ſubijſtis, culpam ipſi veſtrã, ſed cũ emendari jam non poteſt, miſeri agnoſ-citis: ideoque, quicquid committitur ab il-lis, toleratis. tam ridiculi mariti, quam fa-ceti amantes. Nempe quia placido ingenio ac miti eſtis: &, præſertim ſi quis adſit, rixa fugitantes. Obſtat enim pudor, qui in illis jam decoxit. Præterea, acceptam ac poſ-

ſeſſam

ſeſſam ſemel vim imperij, non armis, ſed peruerſitate muliebri, quod eſt multo efficacius, tuentur. Quæ cum ſemel jam virilibus intendere negociis cœperunt, quod a vobis negligantur, animo feroces, ſenſim fœminarum exuunt virtutem: quæ eſt viri reuerentia. Vos autẽ alia dum agitis, prius periiſſe eam quam perire vobis, animum advertitis. Quomodo & ſæpe in Republica imperium mutatur. Hoc eſt grande arcanum illud, quod interdum ἐκ προσαγωγῆς, interdum παρὰ μικρὸν, ab Ariſtotele in Politicis vocari non ignoras. In familia autem, quod de ciuitate dixit idem; nihil refert, vtrum imperent matronæ, an qui imperare debent, mulieri pareant. Vides cauſam, quare minus commodis vxoribus vtantur eruditi, aut cur ſeruiant. Nam vt in Republica induſtria imperium ſeruatur, ita negligentia amittitur. Eodem autem modo hic. Negligentiam nunc voco, non quæ nihil agit, ſed quæ aliud aut cogitat aut curat. Quare ſæpe miror, Reges quoſdam impotentes aut tyrannos, literarum uſu interdixiſſe ſuis, ne imperium invaderent. vt Iulianus ille, qui hoc alibi in Ariſtotele obſeruarat. Ego ſane Rex ſi eſſem aut tyrannus, clam optarem, vt poëtæ omnes,

philoſophi, aut oratores eſſent: aut in legibus aut aſtris animũ haberent. Nam & animum eneruãt illa, ſi ſint nimia. & occupant: nec facile dimittunt. Fraudẽ præterea nec cogitant beati illi, nec intelligunt: & facillime imperium tũ ferunt, tum admittunt. Niſi qui cum modo, & ad vſum, illa didicerunt: aut qui nati ad imperium, aut generoſo ſupra cæteros ſunt animo. Nam ad libertatem quoſdam, alios ad ſeruitutẽ naſci, certum eſt. de quibus Ariſtoteles. Reliqui vt minime ambitioſi, ita honeſtiſſimi, vt plurimum, ſunt viri: qui opinione ſua ſeſe & ſtudiis oblectant. Ideoque nuſquam pictum, aut fictum, aut ſcriptum in hiſtoria inuenies; virum cuiquam eruditũ, regnum, aut imperiũ eripuiſſe. Multa quoque inter Stoicorum Regem & Iberiæ interſunt. Contra vero noſtri, ne in famulos plerunque quidem aut ancillas, inhibere imperium, vt par eſt, didicerunt. quod non minus, quam a conjuge extorqueri ſibi patiuntur. Mihi ergo matronale prius in puella placeat ingeniũ, vt in matrona mox probetur. Ac optarim quidem hilarem (non enim nego) ac feſtiuam potius quam grauem ac ſeueram, vt nimirum habeat mens noſtra, cum ad ſeſe redit, vbi ſe oblectet. Sed ſi illa virum dedignetur erudi-

tum,

tum, proba ſaltem veniat ac caſta. Quæ ſi ante nuptias in matris gremio non multis nota, honeſtiſſime educata eſt, poſtquá autem in amplexus viri bono cum parentum omine tranſiuit, rem, quemadmodum oportet, domeſticam tuetur, domi ſæpius quam alibi conſpicitur (frons enim dominæ quam occipitium, familiæ plus prodeſt) marito morem gerit, & quouſque ſatis eſt pudicam, etiam delectat, liberos cum cura educar, ancillis imperat, culinæ præeſt, in menſa autem vultum ante omnia lubentem ac ſerenũ, tum vero fercula, quæ cura ac mundicies cõmendat potius quá apparatus, cum judicio apponit; ſi quid minus verecundũ (nam his moribus nunc viuitur) ab hoſpite effertur, aure neq; prona id excipit, & facilius plerunq; erubeſcit quam reſpondet; de ingenio, Primeri noſter, & hilaritate iſta gratiá lubenter faciá: & hanc laudem huic homini ſeruabo. illi auté obſequédi gloriá relinquam. Quantumcunq; enim vel prudentię in nobis vel ingenii, vtriq; ſatis ſit oportet. quemadmodũ in Regno, cura Regis ac prudétia ſufficiat neceſſe eſt. Vxoris enim, teſte maximo philoſophorũ, virtus, vt quam optime de viro ſentiat. Cui cætera relinquat. Ac prudentiam inprimis. Quæ eſt virtus imperantis. Maritus autem

ejus ſemper reſpicit vtilitatem cui imperat: quemadmodum & pater. Ejus enim cauſa imperat ac præeſt. ſicut contra herus, non ſeruorum proprie, ſed ſua. Memoriam ingentem quoque illam atque in vſitatam, non magnopere requiram. nec nomenclatorem quæro, ſed vxorem. de cujus agitur nunc bono. Suum enim cuique eſt, quod laudabile vnumquemque reddit. Viri virum, ſerui ſeruum, fœminæ fœminam. Cujus primum temperantia. Quæ per ſe in fœmina ſpectatur & ad fœminam refertur, ſicut cætera ad eum in quo ſunt perfecta. Memoria autem & ingenium, perfecta ſunt in viro. Id enim ejus actiones poſcunt. quæ ſine illis perfici non poſſunt. Tales autem raro fœminæ incumbunt: & in iis ſatis eſt, maritum ſi ſequatur. Neque enim imperat, ſed paret. Non vt ſerui (ne Di ſirint) verum ſuo quodam modo: ſicut quodam modo filii parentibus. In quibus eadem cum requirantur, tamen mediocria ſufficere putamus. Vt monentes, nempe, intelligant, non vt monendo præeant, aut aliquid præſcribant. In matrona autem niſi temperantia ſit abſoluta, tantum illi deerit, quantum huic deerit virtuti. Quod profecto dici de ingenio non poteſt, niſi prius quale eſſe

debeat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

debeat matronæ, doceas definiaſque. Hæc tu philoſophica fortaſſe dices. Et ſint ſane: non poëtica ſunt certe. ſunt enim vera. Eadem in veſtris tamen quoque inuenies. Nam quis ante eos ſapientiam tractauit? Vide Euripidem, quem fœminis fuiſſe infenſum volunt; magnum in his talibus cenſorem. Vide quæ Andromache in Fabula cognomine. Quantum eſt Muſarum vſquam, omnes oderint nos, quantum volent, niſi amem eam, ac propemodum depeream: niſi Hectori conditionem ſuam ter milleſimo poſt anno gratuler. Ita paucis verbis matronale ingenium expreſſit. Vide quid & apud ipſum cothurni Principé Tecmeſſæ Telamonis ille filius præſcribat. non vt lepide loquatur, ſed vt multum taceat. Dices, ſerviiſſe hanc quidem. Atqui in libera hoc probat Ariſtoteles: qui virtutem primam fœminæ, non ſine cauſa vocat. Cujus proprium ſi quæris opus ac ingenium, verſiculos, mi homo, aliquantum tuos, ſuaues quidem illos ac venuſtos, ſed ab inſtituto iſto nimis alienos, aliquantulum e manibus depone: mox, ſi lubet, reſumpturus. Dum quæ Perictione & Phyntis, Pythagoricæ matronæ, hanc in rem ſcripſerunt, diligenter legeris. Moriar, ni magnas illas fœminas continuo amabis.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Quæ non, ut puellæ noſtræ, balbum quid & peregrinum, ſed, quemadmodum noviſſe te exiſtimo, graui, hoc eſt Dorico ac ſibi proprio ſermone loquebãtur. quo & ſua conſcripſerunt. Vide & apud Xenophontē noſtrum Socratem quid dicat, de familia cum agit. At, ingenioſam, inquies, amplecti malo. Et, hæc major eſt voluptas. Fortaſſe. Neq;enim ita ex amœnitate exarui, vt negem omnia. Sed quantilla hæc voluptas! Quam ἀποπληξίην μικρὴν Democritus dicebat. Verum vos ætate illa prima, miras fingitis imagines.

Forſitan & ſylvas illic lucoſque Deorum
Concipias animo, ſimulachraque ditia do-
Eſſe. (*nis*

Adde quod e cella aut ſuburra aliquam in ea arte magis eruditam dabo; cujus nihil præter ignorantiam in virgine laudatur; &, ni fallor, etiam ſimplicitas delectat. Ita enim illi veſtri, nuptialia cum ſcribunt, & congreſſum illum primum, Diis atque hominibus inuidioſum faciunt. Cogita enim mihi innocentiam illam, quæ e matris lectulo & complexibus ad virum cum tranſit, diuerſum aliquid ab eo ſuſpicatur potius quam nouit. Cogita lacrymulas illas, quas, vt venuſtiſſimus Poëta loquitur, certatim thalami intra limina fundunt. Quæ

ſiue

ſiue ſunt veræ, gratiſſimam ſimplicitatem arguunt: ſiue matrum gaudia, vt ille loqui amat, fruſtrantur, mariti quoque amorem vehementer acuunt. Cogita jam tenerum ruborem illum, pudicitiæ fidejuſſorem, qui ad nomen nuptiarum vna cum lachrymulis ſubinde, inuito quoque vultu, prorumpit, & integritatem animi non tam teſtatur quam fatetur. Et id genus alia quæ veſtri melius. Satis enim eſt, ſi talia eſſe intelligas nõnulla, quæ hoc ſæculo, quo ignorantur, ipſum adhuc carmen commendãt. Tum diuerſa eſſe, quę amatis, & ignari extollitis. Da mihi enim aliquam ex iſtis, quas feſtiuas aut ingenioſas vos vocatis, quæ eodem vultu alienas ſpectat nuptias & ſuas, thalamum cum riſu petit, matri blandum illud & ſupremum vale, lepide ac argute dicit; totum vobis, ô Poëtæ mei, illud artificium perierit. Quod ne quando fiat, mentiri etiam ſoletis. Obſeruaſti denique unquam, quam diuerſa ratione Lesbiam illam ſuam & Torquati ſponſam deſcripſerit Catullus tuus? Quarum altera, mulier ingenioſa, noſti in triuijs & angiportis quid faciat. Nam nec meminiſſe eſt honeſtum. Altera, quo ingenio memoriaque nihil refert (neque conſtat ſane) vni viro deſtinata, eo fruſtra expectante,

pectante, moras nectit, trepidat, cunctatur, thalamum formidat. Poſtremo.

Flet, quod ire neceſſe ſit.

Et,

Tardat ingenuus pudor.

Et ſimilia nonnulla, quæ mirifice nos capiunt. Diu eſt enim cum puriſſimum Poëtam illum & Romanæ linguæ optimum autorem, ſtudioſe legi. Sed vt cætera omittam, ſcin tu, amatorum quantum viuit vſquam lepidiſſime, adventurum illud tempus, cum, vt conjugem, mox etiam, vt matrem, quam feſtiue deperis, amare incipies: cum intelliges, vxorem eſſe dignitatis nomen potius quam voluptatis: cum ex vtero, Primeri, illo, qui tot ineptiſſimarũ cogitationum, quamdiu amas, ſcopus eſſe ſolet, feſtiuiſſimum hæredem, tanquam e perula depromet tibi? in quo matris pudicitiam, patris ingenium ac vultum, maxima cum voluptate agnoſces? Siquidem hoc ipſum, patri vt ſit ſimilis, a materna caſtitate, non ab ingenio, eſt expectandum. Scin, futurum illud tempus, cum papillas geminas gemellas illas, quas nunc orbes gemmeos, nunc, ſuauiſſimos colliculos, &, ſi ita videatur, nævulos (quid enim non audetis Galli?) in carminibus vocare ſoles, non in voluptatem tuam, ſed domeſticam neceſſita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tem nudabit? cum ſanctiſſimum illum fontem, hominis educatorem, qui concretus e paterno primum ſemine, e materno mox & animo & corpore decurrens, ex vtroque multum trahit, ad tuorum alimoniã conferre incipiet. & qualis eſt ipſa, talẽ Primeriolum formabit nobis. Ne tu fruſtra quicquam factum a natura putes: quæ diu antequam philoſophus extaret aut poëta, hominem produxerat. Poſtremum eſt, Qua ratione amandũ tibi cenſeam. Quod cum riſu, vt ſuperiora, legi. Serum quippe eſt, ſi amas. Neque enim magis quomodo amãdum ſit intelliget qui amat, quam quo ſit eundum qui jam vſum oculorum amplius non habet. Sed nec illud petis, quibus artibus conciliandæ ſint puellæ. nam hoc Naſo melius docebit. Nulla enim hic philoſophia opus, ſed prudentia. Totum enim ex ingenio illius pendet quam jam elegiſti. Quæ ſi talis, mi Primeri, eſt, qualem eſſe e tuis conjecturã feci & ex aliis audiui, habes equidem quod agas, etiam ſi nullos, homo feſtiuiſſime, verſiculos conſcribas. Plane enim non tu quidem in Charybdi, ſed ſuauiſſima Sirene hactenus laboras. Quippe, vt Homericæ, Vlyſſem protinus aduenientem, & πολύαινον, & μέγα κῦδος Ἀχαιῶν, compellant: ita iſta, ignem tuum ſi

exponas, & beatam eſſe ſe honore tanto, &, ſi voles, etiam indignam protinus fatebitur. Quidni enim, viro tali, tam eximio poëta? Tum, ſi quicquam tibi detrahas, aſcribas illi; vniuerſum fœminarum ſexum, tanti eſſe quanti vos putatis, callide negabit. Id imponere plerumque vobis. Illis autem ea ratione pluſculum accedere animi. Iam vt aliquod ingenii argumentum fuerit quærendum tibi (ſcire enim ſe, ceſſare vos non magis poſſe quam hoc cœlum à quo ducitis originem) alias ſane eſſe, quæ non paulo plus merentur. Se quoque, qualiſcunque ſit tandem, parum intereſſe quin jam melius ſentire de ſe ipſa incipiat: non tam ſuis ſibi meritis, quam quod viro nõ diſpliceat qui tantis ac tam multis placet. Hic, ſi te ſat noui, ægre temperabis tibi, quin epigrammation effundas. & fortaſſe hoc ipſum, vel candorem vel modeſtiam vocabis: interdum enim ſtulte ineptimus. Hoc Regina, vt ſereno amœnoq; vultu, ita cupidiſſimo admittet animo. Quin ſi præmium, baſiolum efflagites, id illa reluctando paulum, mox proditione ſua ſibi ſenſim expugnata, oculis natantibus atque in ipſo prope amplexu liqueſcentibus, concedet tandem. Hinc jam prima mali labes. Habet. tenetur Poëta noſter. captus eſt.

Interea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Intereà Libyæ magnas it fama per vrbes,
aduenisse doctum neſcio quem hominem,
Cui ſe pulchra viro dignetur jungere Dido.
Idque non nolente illa. Ea enim ratione omnium judicia aucupatur. Ergo,
Heu vatum ignaræ mentes!
Primo omnium conveniunt proceres, delicata ac faſtidioſa natio, qui, vt in antiquo eſt carmine, præter propter vitam, non in ipſa, vivunt, & agendo nihil admodum defatigati, à rumuſculis queiſcunque ocii vindictam ſimul ac ſolatium, cum malo tuo petunt. Ibi in vivendi rationem, in ingenium, in ſtudia miſerrimi amantis accurate inquiritur. Nam amicis aut propinquis, nulla fides, nullus hic locus eſt. Symbolam quiſque pro ſe affert, quiſque ſententiam exponit. Inter quos Iarbas ſæpe vnus eſt aut alter, cujus in animo repulſarum cicatrices adhuc manent. Qui in primis ſua intereſſe arbitratur, idem tibi vt eueniat. Et hoc totum nunc agitur. Conſedere duces. Poſt hos advocantur Patres Conſcripti, quibus infra vmbilicum & ſupremum femur, omnia deducta ſunt ac plana; inſolentes ac dicaculæ puellæ. E quibus quædam, nihil præter criſtas ſomniant ac galeas. & in tanta pacis ſpe, ferrum tamen amant; cujus ad menſuram noctis gaudia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

diſponunt. Quædam forma corporis ac modo amatores inter ſe contendunt: neque eos æſtimant ſed metiuntur: cæterum quo quiſque ſpecie inanium plus valet, eo magis anteſertur. Nonnullæ faſces ac ſecures, meras denique Reſpublicas, loquuntur. Quædam fratrem habent aut affinem, quem prælatum tibi mallent.

Omnes hæ metuunt verſus, odêre Poëtam. Quid expectas? Narro tibi, ipſæ, ſi Dis placet, literæ periclitantur: quarum e ſuffragiis Senatus Populique tunicati, tota dignitas jam pendet. Alii Philoſophum, alii Poëtam, tardũ alii aut taciturnum dicunt. Erunt & qui peregrinum dicent: homines, qui vbi nati ſint non refert, cum ſi nati nondum eſſent, ne id quidem aliquid referret. juxta enim ignorantur. Et hi tamé de doctorum capite comitia nunc habent. Si qua vitæ tuæ aut fortunæ labes hæret, ſi qua genii infelicitas aut formæ, ea quoque ventilatur & paulatim in apricum producitur. Poſtremo, ſi non tuis, omnium eruditorum moribus vrgeris ac calamitatibus: & hæc tua fiunt. Multorum enim intereſt vt talis habearis. Quæ tamen leviora ſunt quam aſſiduæ calumniæ, quas aliæ libenter fingunt, aliæ libenter credunt. Denique, vir eruditus & clariſſimus, vt veſtri vocant,

paries

paries es factus, quem caniculæ commingant: pueri & artium tirunculi, in compotationibus & circulis loquantur: omnes enim de ſucceſſu judicant, qui cætera nec capiunt nec æſtimant. Nam ſi aliud expectas, vehementer erras. Tu interea quid? Homo literatus, inter ſcapham & Neptunum hæret. Inueniſti Parcam, quæ tuorum tibi ſeriem fatorum ordinet. Quorum ſane ordo, non jam in Deorum, vt Homerus loqui ſolet, ſed in puellarum genibus verſatur. Quid ergo? Obambulas, & verſus facis. Quos Dione tua, ſcilicet, cantillet & circumferat: aut in aurem Philematio aut Glyceriolo ſuſurret. Nam ſi pluris ea fieri exiſtimas, haud parum erras. Nulla eſt enim e feſtiuis illis, quæ non carmen malit optimi Poëtæ quam fortunas ejus. De quibus non immerito nonnunquam male ſentiunt. Nam quis vſus, aiunt, viri eruditi eſſe poteſt, quem vt ſtatuam plerique admirantur aut commendant, vxorem autem nemo reſpicit aut curat? Eſſe anguſtum iis plerumque ſtipendiolum: quo cum vitam ipſi vix ſuſtentent, ſupereſſe, vt ex aſſe in paupertatem liberi ſuccedant. Interea, ſi minus impetras quod petis, verſus tui ad maritum tranſeunt cum dote. Vt ad tuos numeros, videlicet, ſperatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tuam amplectatur. Itaque vt citharœdi & tibicines, in aliorum nuptiis plerumque canunt, ita eæ, quas vos celebratis feſtiuiſſime, aliis non raro cedunt: vobis autem cantum & lachrymas relinquunt. Interim, dies ducitur ex die: ſtrenue itur ac reditur. Quippe pluſculum ſi vrges, ibi vero formæ ſuæ & amoris tui conſcia hoc monſtrum, modo metu, modo ſpe, miſerum ludificatur, & extrema ſemper metuentem. Nam ſi de diſceſſu verbulum; illa contra, dicteriolum aut alterum de melioribus aſpergit. Quibus condimentum illud admirabile ab oculis & geſtibus, accedit, *(ignis.*

Quod miſero cordi affixum viveſcit vt

Ergo interim aut illicit cupidum, aut captum iam illecebris producit: neque ſine magna temporis jactura, tempus extrahit. Aut ſi ſatis firmiter teneri credit, ad ſuperbiam conuertit animum. Hactenus, ut vinctum non dimittat. Qua in re vſitata formula eſt, Placere te quidem, ſed ad matrimonium non poſſe adhuc animum appellere. Semper enim alias conditiones videt: quæ ſi offerantur, tuis amplius hiſtoriis nec partes ſint nec locus. Ac ne verſibus quidem. Quos interea percurrit. Quid enim minus poteſt? maius autem quo ſe occupet non habet. Interea, non deeſt illi, a quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

colitur cum cura, & quem populo oſtendat. Iis qui bene eruditioni volunt, ipſam quoque vt æſtiment: cæteris, vt clam illudant & illudi tibi videant. Nam hæc illis maxima voluptas; cum præſertim inter ſuas regnant. Inter hæc (arcana quippe imperii propemodum intelligis) inprimis caues, ne calamitatem alii exponas tuam. Quid enim? Nonne in theatrum hoc veniſti? Nonne hoc intriſti ipſe? Nonne vni tibi exedendum eſt? Et quid agas? Succenſeas nimirũ. Quis? Amator, hoc eſt, publice ſtultitiam profeſſus. Cui? Puellæ. Quam eodem tempore, ſi iraſcare, amplecti tamen malis. Adde quod videtur eſſe viri, muliebres ferre injurias potiſſimum. Honeſti autem, vitia diſſimulare. & præcipue quæ proſunt nobis. etiam cum ſubito mutantur. Nullum enim niſi in prudentia ac probitate noſtra involucrum habet iſte ſexus. Itum, qui beneficium cum famæ detrimento clam collatum, aut fauorem nimium vel comitatem dominæ celare nequit, vt ingratum, vt conſtantem parum futilemque, aut leuem, odimus. Omnes quippe infirmioribus fauemus: cum præſertim melius vindicta tempori ac Deo committatur. Nunquam enim laudi aut impune cuiquam fuit, virum, qui honeſte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ambit, nequiter circumduxiſſe. Nam ſi nihil aliud, honoris ſui ſemper faciunt jacturam quæ de alieno ludunt. Vt vix magis improbentur quæ de flore ſuo largiuntur. Nemo autem ita prudens, ita bene ſubducta ad vitam ratione vnquam fuit, cui non imponi iſta ratione poſſit. Ideo cordati & boni, illam odio, juuenem commiſeratione dignum iudicant aut venia. Vere enim illud hic vſurpatur

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Interim, ſi feſtiui es ingenii & ridere alios plerunq; ſoles: metuis ne idem viciſſim eueniat nunc tibi. Neque raro cogitas interea, quanto meliora reliqueris: quam tibi bene domi olim cum clariſſimis doctiſſimiſque viris, L. Annæo Seneca, Plutarcho, Cicerone, aliiſq; conueniret. A quibus, nihil vt ageres, diuortium feciſti. Vt omittam nunc, quam multa tibi præter morem conſuetudinemque ſint agenda. Vicini prehenſandi & amici, obſidendæ fores, ſalutandi plures, omnes metuendi. Cogitandum, quid ancillæ, quid pueri, abſente te, ſugillent. Noctes inſomnes traducendæ, literis & ſanctis meditationibus renunciandum: ſæpe gemendum: nonnunquam clam illachrymandum ſorti ac conditioni tuæ. Viden-

dendum ac cura expendendum, quæ veſtis qui cultus potiſſimum te deceat: inprimis autem, quid jam vſu ſit receptum. Vtrum latus barbæ quod ad Orientem ſpectat, recte conueniat cum eo quod in Occidentem tendit. Sartore accurato & tonſore vtendum eſt. Danda eſt opera, ne pallium ab interiore habitu, tanquã in ciuili bello, diſſideat, aut æquo ſit prolixius Ne calcei, præter æqnum ac bonum, caligarum terminos inuadant, aut altius aſſurgant. Vt periſcelides intra præſcriptum ſe contineant ſpacium: ne, Vti poſſidetis, interdicat prætor. Incedendum cum cura, cum cura edendum ac bibendum, cum cura inſaniendum eſt. Denique

Muliebres mores diſcendi, obliuiſcendi ſtratiotici.

Si quem vides virum grauem & quem æſtimare ſoles, tacito pudore, ſi quem inimicum, ira ac indignatione emoriaris neceſſe eſt. In hoc ſtatu, mi Primeri, ſi res tuæ ſunt, & in iſto pelago jactaris, homo minime ſceleſtus, ſed Poëtica ſimplicitate vitam ſolitus tranſigere, ideoque humanarum imperitus fraudum, quales plerumque eſtis, qui ab hominum, ſtudio diſcendi ſemper aliquid, remoti oculis, tenemini; quæris quidnam faciendum tibi cenſeam?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Primo, ſi amorem admiſiſti, actum eſt. Mala enim merx eſt. Proximum eſt ergo, vt eſurias: quod in his conducere arbitrantur Græci. Neque parum ſane abſtinentia hic poteſt. Secundum eſt, vt moram temporis opponas. Tertium, vt locum mutes (nam & hoc prodeſſe ajunt) & cum loco pariter amorem, ſi potes. Non enim quartum addam: de laqueo vt cogites. Vt quod abſque vitæ detrimento fieri non poſſe exiſtimem. Sin, miſſis ambagibus, tecum me ſerio vis agere, ſic agam: Vin tu, optime Primeri, rationi quam fortunæ potius amores tuos credere? Vis de te, vis de ſana mente aliquando cogitare? Adeo rediſſe res tuas, vt potiſſimum illius te amore maceres, quæ deſpectum te habet, eludendum autem aliis propinat? Neſcire te egregiæ exiſtimationis virum, vniuerſum fœminarum ſexum tanti non eſſe, vt tu omnibus ludibrium debeas! Ne id quidem cogitare te, famam fruſtra te doctrina peperiſſe, ſi viuendo nullam ejus curam habes: fruſtra eruditum eſſe, ſi receptam populi opinionem re ac factis adſtruis, Ne communem quidem ſenſum eruditis eſſe! Si ætati dare ludum placet, quæ honeſtior voluptas petitur quam e conjugio? Hoc ſi diſplicet, quare in re ſeria nugari lubet? Quare Catullus

tullus & Tibullus, & amandi artifex Ouidius, aſſidue in manibus verſantur tibi: Plato autem, Xenophon, & Epictetus, ne tractantur quidem: quorum tamen ſcriptis nullum efficacius ad tolerandas res aduerſas remedium inuenies? Et quia ad ſeueram Stoicorum ſectam ablegare te vix audeo, quæ vrit tantum & incîdit vulnera: nouerca perturbationum potius quam emendatrix; agedum, Platonem tuum inſpice, ſuauiſſimum ac jucundiſſimū ſcriptorem, & qui nihil venuſtati Poëtarum ac amœnitati debet, ne quid dicam amplius. Is tibi dicet, Nihil aliud amorem eſſe quam opinionem boni. Vt ſi lippus plumbum videat. hoc autem plumbum eſſe aurum credat. Interim hoc amet, ejus torqueatur deſiderio: dies totos, totas noctes ſeſe maceret, ſi abſit: laudes denique ejus celebret ac canat. Nunc ex Euripide exclamet

Ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.

Nunc ex tuo Pindaro,

ὁ δὲ
χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ
ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.

Interdum verſus ipſe ſcribat, in quibus

omnia

omnia commemoret quæ auro comparari ſolent: eum, qui hoc habeat, obſeruet, colat, ſectetur, totos dies oculos in eum pariter & animum conjiciat. interim de medico non cogitet. Ita tecum, mi Primeri, nunc, ni fallor, agitur. huic ſimillimus eſt morbus tuus. Nam nec pulchra omnibus videntur, quæ videntur tibi: nec exactum ſatis eſt, in bonis an habenda ſint, quæ bona tibi nunc videntur. Niſi forte credi mauis tibi, eſſe quendam puerum, cui puero, Vulcanus pater, mater ſit Venus. Hunc cum face & ſagittis miras res gerere: quemque attigit, vt Comici loquuntur, ſolido mactare infortunio. Qui, vt tu canis,

E Dominæ ſacros accendit vultibus ignes,
Et flammam geminis ſuſcitat ex oculis:
Vt quondam Titana ferunt immanibus auſis
Æterno flammas ſurripuiſſe Ioui.

Aut ſi audire illa mauis, valde enim ſunt delicata,

Oſcula cum indulſit roſeo mihi Margaris ore,
Et trahit ad ſe intus transfugientem animam,
Tum loquor, o ſi quid animæ ſupereſt mihi, Diui,

At

Atque ipſum pulchræ impendite me Dominæ.

Niſi quod ab illis ſuperantur:

Cum Dominam aſpexit, clypeum abjicit, & procul imos
Infelix mi animus effugit in digitos.
O Diui, fugitiuo illi latebram date tutam
Hoſtili in gremio. ſic fugiat dominum.

Hiſne tu verſiculis dolores mitigari poſſe credis, quos in ſeſe amor habet, & moleſtias? Hiſne tu puellas, quibus ipſa ſordet eruditio, moueri poſſe credis? Quin ſi vir es, ſapere audes aliquando, ac te ignominiæ ſubducis? Quin das aliquando operam, ac ſerio hoc agis, vt vxorculam modeſtam, liberos ſuauiſſimos, ſimillimoſque tui, vitam, non incertam, ſed compoſitam, amici tibi gratulemur? Denique, ſi me, ſi te, ſi exiſtimationem tuam amas, aut puellam ama qualem tibi conjugem optares: non procacem, non alternam animi & vagam, ſed quæ precium amori tuo ponat: aut cõſtanti animo, ac ad exemplum, ſi videtur, meũ, pro vxore ſemel ſapientiam amplectere. Sin res adhuc integra eſt, & vacas; autor tibi ſum ante omnia, vt ſerio ne ames. Aut ſi id non potes (noui enim quo ingenio Poëtæ ſitis) vt id ſerio diſſimules. Donec penitus perſpectam ejus indolem atque ex-

ploratam habes. Ita ſimul in celando ad effectum ſpem habebis, neque, ſi res aliter ſuccedit, fabula cujuſquam eris. Interim conducet, plures tempore eodem vt accedas. Ne hærere vſquam te, aut alii intelligant aut ipſa: &, ſi ſapis, loco quoque & genere ſuperiores. Hactenus enim vt vbiq; admittamur, literæ nonnihil poſſunt: quas nonnulli æſtimant, nonnullos pudet non videri. Ad ipſam vbi venies, operam in primis dabis, vt quam ſimpliciſſimum te illi exhibeas. Tales enim omnes eruditi facile creduntur. Qui videntur autem tales, eos nec vaferrimæ celare quicquam ſolent. Negligenter quippe apud illos & loquuntur quidlibet & faciunt. Quare hoc conducet plurimum. Nam vt Parthi tantū fugiendo pares militi Romano erant, ita qui ſimplicitatem, cum videtur, induit, ac cujuſque ingeniū, in uſum ſuum penetrat aut tentat, calliditatē alienam facile expugnat. Habeo amicum, virum literatum, qui his artibus arcana plurimorum, penetrat: neq; parum liberaliter, pro fide ac candore ſuo ſingulari, multa ejus generis, nobiſcum, in congreſſu ac colloquiis communicat. Iures, vbi cum hominibus verſatur, ſilentii plane alti ac magnarum cogitationum mortalem eſſe: aut in libris animum habere. Ille vero

hoc

hoc agit. Aduertit quæ non cenſeas. Ac ſi quando, vel ex aula vel e foro ad ſe redit, quicquid alibi vel vidit vel audiuit, chartis feſtiuiſſime committit. & dexteritate ſumma mores ineptorum & qui literas oderunt, callidiſſime depingit. De quibus poſteritas fortaſſe judicabit. Non minoris enim eſt prudentiæ, non ante tempus ſua edere, quam optime ſcripſiſſe. Eſt & aliud, fortaſſe non omnino contemnendum. Sæpe obſeruaui, nullam eſſe tam verſutam quæ affectus ſuos moderari poſſit. Quod centeſimus virorum quiſque vix poteſt. Igitur, ſi paululum nonnunquam aut irrites, aut ad iram prouoces, rumuſculum extemplo aut alterius de te judicium, impinget tibi. Tantum vindictæ amor poteſt. Neque raro fit, vt, dum aliena ſciſcitantur, ſua non occultent. At vero ſi jam hæres, quod omnino judico, & nolles tamen, neque intelligere non potes quid expediat, videri tamen aliis conſtantem minus pudet, primũ erit vt friguſculo paulatim eam ferias, & amorem, quantum potes, non abrumpas quidem, ſed cunctando diſſuas. Ita ſuis peti artibus ſe ſentiet. Et interdum ſunt nonnulla hoc cur fieri expediat. Si, nimirum, non omnino male cum amicis ejus aut propinquis conuenire tibi credis. Præcla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ris ſæpe & eximiis hominibus. addo & tui ſtudioſis. Quibus ægre eſſe debet, virum probum ſic ludibrio exponi. Sed quis Deus inter tot judicia vel opem ferat tibi, vel Reginæ animum emolliat? Nam qui frigide aut nimium remiſſe intercedunt, nihil promouent. qui calide, ne illi quidem: fidem enim non inueniunt. Et vero, cujus intereſt, ne tu inſanias? aut quis adducere eam poteſt, præter animi ſententiam vt viro nubat? Quod ego quidem nulli autor eſſe velim. Debetur quoque hæc tanquam merces pudicitiæ, vt libenter id & ſua ſponte faciant puellæ, quod ſi imperetur, non voluptas ſit, ſed pœna. cujus partem ſemper maximam maritus fert. Adeo etiam hic difficile eſt

venatum ducere inuitas canes.

Interim ſuus illis honor deferendus eſt (etiam cum agere aliud intelligis) & judicio puellæ, ſine eius ac ſuorum inuidia, omnia deferre. Id quod hodie non nemo facit. Ea enim ratione vt quiſque eſt ſimpliciſſimus, ita circumducitur facillime, & ſatisfieri patitur ſibi. Qui autem non eſt, dabit tamen operam vt videatur. Quod ſi dignam tuis moribus tuaque vita es nactus, numquam differendum eſt quod agis. Ne dum tu in Pindarum, aut neſcio quem

alium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

alium ſcriptorem, commentarium moliris, alius in eam notas ſcribat. Stylo enim expedito hic eſt opus. Et præſertim, ſi ſit procax aut agilior. Neq; raro euenit, vt, dũ vos pugnatis tepide, alius cuniculis rem gerat, & dolabra animum expugnet. Quod fit corpore expugnato. Pudoris enim ſui labem neceſſario puella ſequitur : aut, ſi eſt honeſta, anteuertit. Virtutes quoque minus mouent animum: commune contra dedecus & conſcientia obſtringunt. Vos vero fide optima ac moribus amatis: neque minimum audetis per laſciuiam. quæ illecebra hoc tempore amoris eſt ac glutinum. Ita fit, vt dum boni viri eſtis, alius de ea & de vobis pariter triumphet. Quippe ſi, quemadmodum in Optimatum Republica, eundem eſſe bonũ virum bonumq; ciuem docet Ariſtoteles, in reliquis diuerſa vt plurimum hæc eſſe; ita, inquam, optimarum quoque puellarum aliqua Reſpublica ſi eſſet; idem vir bonus & amator bonus eſſet. Nunc corruptis moribus, Primeri noſter, capiuntur optime quæ tales ſunt. viri autem boni & modeſti locum dant prudentioribus: ſicut in palæſtra eruditi fortibus. Non enim ibi ſi Poëta eſſes, & valentem nactus eſſes aduerſarium, quicquam efficeres. Idem tamen hic fieri

miraris. Et plerique eſtis tales, vt cum impetu agatis omnia. Ideo non raro fit, vt acribus initiis, fine incurioſo, infelici exitu ametis. quod in multis obſeruaui. Atque idcirco pridem in poſſeſſione repulſarum eſtis. Nam, vt veteres omittam, neque Claudiam Lotichius, neque Hyellam Flaminius, neque Caſſandram exorauit Ronſardus. Illa autem

Vatis amatoris Iulia ſculpta manu,

relicto vate, amatore ſuo & ſculptore, peregrino cuidam nupſit. Qui, Poëta multum indignante, quod ex ejus verſibus apparet, in illius gremio cantare merito pro illo potuit,

Centum baſia centies,
Centum baſia millies,
Mille baſia millies,
Et tot millia millies,
Quot guttæ Siculo mari,
Quot ſunt ſidera cælo,
Iſtis purpureis genis,
Iſtis turgidulis labris,
Ocelliſque loquaculis,
Figam continuo impetu
Magni Iulia nominis.
Namque amans tuus excidit,
Et ſculptor tuus excidit,
Exciditque Poëta.

Miſer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Miſer autem baſiator & ſuauiſſimus Poëta, cum inſtaret jam nox illa, cujus vſum ille ac fructum ſola cogitatione delibarat, Solem orat, vultum vt abſcondat, Iovem fulmina vt emittat. quaſi novum rebus inducendum eſſet chaos: aut Titanes cœlum oppugnarent: aut Deorum intereſſet, a quo eius Iulia devirginanda eſſet. Qua de re & literas illius legi; ſed quæ nondum formis ſunt deſcriptæ. Quoſdam tam abjecto noui animo, vt in eius animum quam amant, ſerio inquirere non audeant: ne ſi ſubito deſiſtant, ferre repulſam dicantur. Nam hoc ignominioſum ducunt. Quaſi id non Regibus eueniat quotidie: aut quaſi poſſint cogi quæ ſe exorari nolint: aut hæc tota res non fato diſpenſetur potius quam meritis: poſtremo, quaſi de prætura aut de conſulatu hic agatur. Atqui Cato a victore orbis populo repulſus, pila dicitur luſiſſe: nec Vatinio poſtpoſitus, minorē ſe propterea exiſtimauit. Nos contra, qui ſi bona noſtra nouimus & paruo viuere didicimus, quod Philoſophia ſola dare poteſt, ſupra Regum omnium ac Principū repulſas longe aſſurgimus, quaſi non in foro & in aula plurimi reperiantur, qui auguſtam ſapientiæ ac eruditionis dignitatem, quia capere non poſſunt, pertinaciter

contemnunt, & autoritate ſua oppugnatum eunt, ad ſtolatum judicem abimus. Itaque ſtultiſſimi mortalium, quanti aliqua, ſi Diis placet, Eromonion nos eſſe aut Lampadion exiſtimat, tanti eſſe ipſi arbitramur. Cum præſertim ſint & aliæ, nec forma neque dote inferiores, quæ & eruditioni multum, & parẽtibus deferre quidvis, vt honeſte educatas decet, didicerunt. Quas qui tacite ambiat, modeſte petat; conſcio nemine, fauente quolibet, confectam rem habeat: neq; temporis jacturam faciat, aut exiſtimationis notam publice incurrat. Sed plerumque nimis aut demiſſi aut ſupplices nos ſumus. Hinc autem ſpiritus aſſumit iſte ſexus. Tum quæ placent nobis, ſine modo extollimus. quod & lubentiſſime admittunt. Idem quoque quod Pygmalioni accidiſſe aiunt, accidit Poëtis. Nam vt ille ſtatuam ex ebore feciſſe fertur, quam mox deperire cœpit; ita formã ſæpe ipſi nobis fingimus, in qua vt primo ludimus, ita tandem miſere hæremus. Quicquid enim deeſt ei de qua cogitamus, ex ingenio ſupplemus. neque parum addimus: quiduis autem excuſamus. Vt ſit alia propemodum in verſibus & mente noſtra quam quæ aliis videtur. Non enim ſemper veritatem exprimit aut imitatur Poëta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ta, ſicut recte obſeruat Plato: amator autem raro eam videt. Adde quod qui captus jam eſt, odit eam ſemper, & neſcire mavult etiam quæ nouit. Vnum addam nunc, ac deſinam. Rationes veſtras, optime Primeri, vehementer admirari me ſolere. Qui cum ea tractetis ſtudia, quæ in rebus humanis quidem prima ſunt, a vulgo tamen aliena ſunt, ideoque contemnuntur; ſi quæ tamen eſt puella vel in aula vel in foro, moribus & indole a vobis aliena, hanc vt plurimum ſectamini. Neque minus non procedere quæ cogitatis admiramini. Id plerumque in vobis riſi; homo ſimplex, & qui nihil ſoleo diſſimulare. Eas quoque vrbes eligitis nonnunquam, quæ cum inſtituto veſtro minime conueniunt. Vt ſi tu Bruxellæ, Amſtelodami ego amem: cum in animo & mente patrimonium omne, omnes habeamus copias: hanc monetam autem ibi nemo norit. Eorum opes interim ſtultitiam & ſapientiæ contemptum patiuntur. virtus autem noſtra & ſcientia, laudantur quidem: ſola autem illa expetuntur. Id memento quoq; qua ſis tempeſtate natus. Qua nimirum ad interitum ac certam mortem, omnis properat humanitas. tantum quia minus quam debebat æſtimatur. Legimus Virgilio

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

non ſecus quam Auguſto, venienti, Rom. populum aſſurrexiſſe. Auguſtum ab Horatio repulſam tuliſſe, quia Mæcenatem præferebat. Veſpaſianum, jucundiſſimum Imperatorem, a Plinio vocari. Principum filios, ætate patrum humaniores docuiſſe literas. Laurentio Medici, Politianum; Franciſco primo, alios familiares fuiſſe. Quem & ad Robertum Stephanum ſubinde viſitaſſe: & cum ei non vacaret, quod eorum quæ tum edebantur emendationibus intentus eſſet, paulum expectare juſſum. Neque parum refert, vbi viuas: penes Principem an penes Populum ſit ſumma rei. Plerumque quoque ingenia præclara pluris fieri poſt obitum dicuntur. Sed tum ſerum eſt vxorem ducere. Neque ego autor tibi ſum propterea, ut moriaris. Habes noſtram, optime virorum, de Poëſi tua, habes de Amoribus ſententiam. Quod ſi tua interim placere tibi pergis (non enim invidere poſſum tibi) & ad hoc judicium quotannis duo aureorum millia accedunt, per me licet, vt ex his nonnulla prætermittas. Emi enim tales facilius quam exorari ſolent. Vale. ac ſcito, totum me in deſcribenda noua Republica nunc eſſe. In qua hoc cauebitur, vt, quemadmodũ nunc ſoli Reges Regum amant filias ac ducunt, ita

Poë-

Poëtarum ac Philoſophorũ inter ſeſe liberi jungantur. Pudet enim vos ab aliis non ſatis æſtimari. Tum vt emptiones & venditiones, non, quod nunc fit, auro & argento, ſed Poëtica moneta contrahantur: hoc eſt verſibus. Quadringenta millia qui poſſidebit, Eques erit: qui Romanum carmen, Græcum, & vernaculum, dexteritate pari ſcribet, imperabit reliquis. Si quæ ſunt puellæ, quæ Poëtis olim illuſerunt, quas & ego odi peſſime, eæ in hac Vrbe mea atque in hac Republica, eunuchis nubent. Idem quoque vt illis poſt hanc vitam eueniat, Minos, Iouis, dum viueret, arcanis admotus, nunc autem inferorum Prætor, Æacus præterea & Rhadamantus Gnoſſius, curabunt. qui, vt noſti, præfecturam ſuam atque imperium Poëtis debent. Quorum ad tribunal, vbi mortem commutauerint cum vita, Venus aut Cupido, folijs maluarum vſque ad necem eos cædet, cum ſolenni formula ad plagas ſingulas,

Diſcite juſtitiam monitæ, & non temnere vates.

Riuales autem Poëtarum, quamdiu viuent, ære diruti, atque, vt in militia, diſcincti, ſine ſica ambulabunt: non de qua Cornelia lex agit, ſed quam tangit Iulia. Vt intelligant, cum viris ſibi rem fuiſſe. Ergo vide etiam

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

atque etiam quid agas. Nam ſi expectare potes, donec omnia,vt oportet,ibi erunt conſtituta, ſaxo lepidam puellam ex Anacreonte aut Homero eligas: cui dotem dabit Penia Platonis aut Idea. Nullus enim ibi vſus erit nummi. Nunc autem quamquam vena lenis & terſiſſimus character in ſuauiſſimis verſiculis ſcriptiſque tuis omnibus elucet: eſt tamen quidam in ſcutatis veſtri Regis & circumforaneo hoc auro, qui non paulo plus poteſt. Hæc res nobis fraudi eſſe ſolet. Vnum opto (ne perpetuo jocari me exiſtimes) fidem vt habeas,homini non quidem erudito, ſed qui aliquem,ni fallor,vſum habet rerum atque experientiam. Quod ne ſero fatearis atque intelligas,iterum atque iterum, ſuauiſſime Primeri,caue. Vale,& Bellocherium,tuum juxta ac meum,meis verbis ſaluta. Lugduni Bat. M. DC VII. Kal. Iul. Mi doctiſſime & venuſtiſſime Primeri, iterum Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

LAVS PEDICVLI,

ad Conſcriptos Mendicorum Patres.

SAcrum morbum eſſe opinionem, vere pariter ac eleganter, Patres Mendicorum, ab antiquis proditum memoriæ eſt. Cujus tanta vis eſt, vt ſi quem vel leuiter afflarit, eum, tanquam vinctum conſtrictumque teneat, neque ad veritatis lucem oculos attollere permittat. Id vero vel inprimis deplorandum, quod judicia, in quibus de ſalute agitur mortalium, cum ſemel tenuit, ſuffragia ſententiaſque moderetur, & in partem alteram, quodcunque animo concepit, ferat ac decernat. imo hercules pro judice ſe gerat. Quod in cauſa rei noſtri manifeſtum eſſe, quis tam nullo præditus eſt ſenſu, qui non fateatur? Pediculum hunc, celebre animal ac cuiuis notum, hoſpitem ipſius hominis domeſticumque, ortum ex homine ac creatum, in iiſdem focis ac laribus eductum, ejuſdem Fortunæ, Penatium, & ſi quæ domeſtica ſunt vobis ſacra, omnium participem, veſtrum vero comi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tem fidiſſimum, premunt libenter homines, & in contemptum, quantum poſſunt, hactenus adducunt: neque terra jam & mari, ſed quam vnam habet vitæ atque fortunarum ſedem, corpore humano interdicunt ac proſcribunt. Cujus rei cauſam ſi quis quærat, nullam præter vnicam inueniet opinionem. quæ vt penitus ex animo tollatur, ad ſalutem rei intereſſe exiſtimo. Quem vt vobis diligenter commendem, ſatis eſt, ſi laudes ejus non ignotas vobis eſſe ſinam. Ajunt primo omnium, infame eſſe nomen. Dii veſtram fidem! quod a parte honeſtiſſima deſumptum eſſe, ipſi ne negare quidem audent. Vnde Pedem primo, mox, vt blandientes ac amantes ſolent, merito Pediculum dixerunt. non profecto minus caſta voce, quam, aut Oedipum aut Polypum: in quibus eadem vox extat. Opinionis ergo vim videte, ac ſemel penitus perſpicite. Pediculorum montem, populos Pediculos, Pediculorum ſiue agrum ſiue flumen, dici nemo turpiter exiſtimat. ne de foliorum & fructuum pediculis hic agam. Quanquam equidem Romani, ne præclara quidem & magnifica deeſſe illis voluerunt nomina. Vt cum Serpentes & Sexupedes dixerunt. Multo vero minus Græci. qui ab ipſa rationis officina,

cere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

cerebro humano, vnum inter cætera impoſuêre. Hebræi quoque ab efficaci voce *canan*, quod fundare illis (vnde *can*, quod eſt baſis, pes, ſiue fundamentum) dixerunt. Vel quod, puncti inſtar, animalium majorum fundamenta ſint: vel quod multis pedibus, vt baſi, nitantur. Ergo *cinnim* genti antiquiſſimæ vocantur. Græci interpretes Sacrorum, σνίπας, non vt diuerſa animalia, quod nobis ſemper viſum, ſed a ſpatio dixêre. quia σκνιπὸν, id quod eſt exiguum, aut paruum. Vnde & Chaldæis, a contracto corpore, & conciſo quaſi, *cimlin*. A quo & *camla* Arabum. qua voce hoc animal deſignant. Neque eſt quod quenquam horum pudeat. cum ſubtilitatem corporis ac modum, virtus vel excuſet vel commendet. Quam & in formicis quiſque admiratur. quibus ſummam quoque antiqui prudentiam aſſcribunt. Neque minus noſtri, cum humana corpora inuadunt, ſtrenue rem gerunt. Vt de ſingulis eorum dici poſſit, quod de maximo heroë ſummus vates,

Τυδεὺς μθύ τοι μικρὸς ἔἦν δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Corpore paruus erat Tydeus, ſed maximus armis.

Quanquam ſane reus noſter, nihil ad ſe pertinere quo dicatur nomine, exiſtimauit vnquam. Quam præclaram ἀδιαφορίαν, ſine dubio e Stoicorum barbis ſuperciliiſque, in quibus olim vixit, idem traxit. Porro cum a patria plerumque fontem laudis ac originem, & oratores & philoſophi deducant (quod Platoni quoque in Menexeno probatur) noſter, neque Athenis neque Romæ natus eſt. quarum ciuitatum laudes ſæpe ad faſtidium jam vſque magni oratores celebrarunt. Patria pediculi eſt Homo. Cujus merita ac laudes prædicare velle, putidi ſit & inepti. Sicut autem ſolus ratione præditus eſt homo, ita ratio in ſumma ejus editaque parte, domicilium ac ſedem habet: capite nimirum. Quam profecto ſibi, tanquam arcem quandam, minime, vt reor, contemnendam, merito delegit. In hac naſcitur ac educatur: in hac opes ſtabilitas ac fundatas habet. Hujus incola & ciuis eſt: non inferiora, hercule, ſecutus. Cum vero, quod antiquus vates eleganter cecinit, vicino bono nulla res ſit melior: ille mentem, ille intellectum, ille prudentiam ac ſapientiam, vicinas, ac propemodum domeſticas, hic habet. A quibus cum lon-

longiſſime abſit aſinus, obtuſum animal ac hebes, ſolus pediculos, vt vulgo creditur, non nouit. Contra autem prudentiſſimi mortales, præter hominem, diuinum animal ac vere primum, canem quoque ac philomelam ardentiſſime ſectantur: quos ingenio præſtare norunt. Ne non verum ſit, quod primum ab Homero, mox ab Ariſtotele eſt dictum, Cum ſimilibus plerumque ſimiles conjungi. Soli ex felicitate ingenii diuinitatis vocabulum Platoni impoſuit antiquitas: cujus pediculi prouerbio circumferuntur. Ne de Pherecyde,& Alcmane, quos ad necem vſque comitati ſunt, hic dicam. Porro nobiliſſimi in capite morantur:

Plebs habitat diuerſa locis.

Nam colonias, vt plurimum, vbique, in veſtibus, in ſuperciliis, in barba, deducunt: licet non ejuſdem omnes generis ac formæ. Antiquitatem ſi ſpectes, ſupra Erichteum ac Cecropem, ad Deucalionis tempora continuabis. Simul enim ſpiritu humano incaleſcere cœperunt ſaxa, hunc calorem reus noſter eſt ſecutus. Qui vt quam longiſſime ab omni frigore verſetur, ſua ſemper intereſſe exiſtimauit. Homo igitur, e ſaxis, ex homine prognatus eſt pediculus. tanto nobilior origine, quanto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ſaxis ac lapidibus nobilior eſt homo. E carne naſci Ariſtoteles, e ſanguine autē Theophraſtus voluit. Vtramq; nobiliſſimam ac primā eſſe corporis humani partem, nemo neſcit. Ajunt vero e corruptione naſci. & hoc telum contra innocentiam valere, crudeliſſimi actores arbitrantur. Nolite pati, Patres, imperitiam in foro veſtro ad calamitatem rei, vltra veritatem poſſe. Idem enim homini, ſi pergant, idem cunctis animalibus eueniet. Ex corruptione enim ſanguinis vt ſemen, ita e corruptione ſeminis, cum homo, tum & animalia naſcuntur cætera. Quid formoſius pauone? e corruptione oui naſcitur. Quid apibus prudentius, quid fœdum minus, magis autem neceſſarium in terris? e corruptione bouis naſcuntur. Nihil enim generat ex alio Natura, niſi iſta lege, vt aliquid corrumpat. & hac lege omnia conſeruat. Vnde omnia mutari, nihil interire, a Pythagora præclare dictum. Contra vero, ita me Dii ament, mira ratione factum dicas, vt eodem modo duo celeberrima naſcantur animalia; Pediculus & Phœnix. Alter e parentis ſui cinere: e lende alter. Vt non ſine cauſa vtriuſque originem* ſcriptores nobiliſſimi conjungant. At vero, Ariſtoteli ſi credas, Nihil fieri e

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

lende, jam vicarium diuinitatis, primum feceris Pediculi autorem. Calorem nempe vniuerſalem : quem non ſine cauſa creatorem Arabes dixerunt. cui,cum hoc animal eſt procreandum, naturalis quoque accedit. Iam ſi educationem quæras; ſimul ac vſuram lucis pediculus vſurpat, iis artibus ac diſciplinis inſtituitur, in quibus vtilitatis plurimum ad inſtitutum vitæ repoſitum exiſtimat. Natare non diſcit. in continente enim habitat. Neque literas & diſciplinas. quippe quas prodeſſe parum ad virtutem doctoribus plerunque videt. Igitur in re familiari & domeſticis negociis plerunque occupatus, quicquid ab edendi exercitio ac cura relliquum eſt, contemplationi ocioque impendit. Facilitate autem vitæ, ad Homeri Deos ῥεῖα ζώοντες, quam proxime accedit. Cibum enim quo ſe ſuſtinet, non quærit ſed in promptu habet : qui, quocunque ſe conuertit, ſine apparatu fruitur paratis. Vt omittam aliud, quod cum Homerica diuinitate habent commune.

> Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽, οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον.

> *Nec fruges comedunt, nec libant munera Bacchi.*

Terram non exercent aut arant, ſed humanas carnes vellicant leniſſime ac pungunt. Conſtitutionem corporis ſi quæras; pene oculorum aciem excedit. Membra quidem certe maxima ſubtilitate artifex natura texuit. ita vt ad intellectum proxime accedant: viſum autem vix admittant. Quod cum incorporeis propemodum commune habent: quæ nobilitate ſua ſenſus excedunt. quare & ſola ratione penetrari poſſunt. Etiam cum atomis. e quibus architectus olim Leucippus, fabri Democritus & Epicurus, orbem conſtruxerunt. Quas idcirco *corpora materiaï, corpora prima, primordia, rerum ſemina*, item, *materiem*, familiaris Epicuri Romanus poëta dixit. Sed præſertim Acari, notus Ariſtoteli. qui & nomen idem fere, certe ab eodem, traxit: cæterum nec diuidi, nec findi, & propemodum videri non poteſt. Qui ſi incurreret in oculos, neque modo ipſe ſed & membra ſub aſpectum ſingula, inprimis autem pedes, venirent, ſaxo protinus hamatum illud, aſperum ac leue atomorum ſpectares.

Iam viuendi genus placidum delegit ac tranquillum. Non volatile, vt aues, neque deſultorium, vt pulex: ſed pro dignitate vitæ ſuæ, ſtabile ac quietum. Paſſu

tardo

tardo ac compoſito incedit, neq; quicquam e philoſophia tam amplecti quam ſilentium Pythagoræ videtur. Intencionem enim mentis nihil æque ac ſtrepitus offendit. Quæ ſi eſt continua, felicitatem quidem certe humanam excedit. Neque ab actione tamen prorſus abſtinere ſolet. ſemper enim epulatur. Sociale animal eſſe hominem, ideoque ciuitatis fundamentum eſſe ac Reipublicæ, præclare dixit Ariſtoteles. Quod inprimis noſtro cõuenire, nemo ignorare poteſt niſi qui non vidit. Nam & inter ſe, & cum homine libenter ſociantur. De forma Reipublicæ qua vulgo vtuntur, haud perinde pronum judicare eſt. niſi quod a populari minimum recedat. Nam & numero cenſentur, & judicio a plebe ac dignitate non vincuntur. In bello, non tam cuneatim quam globatim incedunt: neque inter ſeſe, quod & furioſum eſt in homine ac dirum, ſed cum ipſo homine confligunt. De quo & ſæpiſſime triumphant. Neque minus cum eodem amicitiam conſtanter colunt. fide vero ipſum vincunt. Siquidem

---fugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici;
Ferre jugum pariter doloſi.

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

At Pediculus conſtanter manet: nec fortunam venientem ſequitur, aut fugit recedentem. niſi quod aduerſa, hoc eſt, veſtra, (ea eſt præclaræ mentis generoſitas) inprimis delectatur. Paupertatis enim comes eſt & aſſecla,

Forumque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

Quare, vt olim Scipio, de quo antiqui, nunquam minus ocioſus erat, quam cum ocioſus eſſet: ita vos, Conſcripti Patres, nunquam minus eſſe ſolos reor, quam cum ſoli in compedibus ac carcere verſamini. Adſunt enim vobis comites perpetui ac fidi, qui in crucem vſque vos ſequuntur. ac præſertim, Peſſulatas ſiue Plactulas quas vocant: quæ plerunque in pube, axillis, barba, palpebriſque ſtabulantur: quemcunque ſemel inuaſere locum, ejus ad ſupremum vſque ſpiritum tenaces. At de cæteris, inprimis mirum eſt ac prope ſupra fidem, quod dicturus ſum. Nam vt Trojanorum Deos Magnos & Penates, cum jam vrbem inuaſuri eſſent Græci, eam reliquiſſe nobiliſſimi autores tradidère, ita iſti, cum quem moriturum vident, agminatim cedunt. Neque id medicos prudentes vnquam aut philoſophos fefellit. Vnde harioloſ nonnulli & diuinos autumant. Res eo-

rum

rum geſtas, ſi menſuram corporis intueare, paucas eſſe aut nullas, credes.

At ſimul heroum laudes ac facta parentũ
Iam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere
virtus,

in diuerſum protinus abibis. Ipſi enim, ſiue ingenua, vt arbitror, modeſtia, ſiue quod Annalium memorias intenti rebus aliis contemnunt, laudes ſuas, & quæ fortiter geſsêre, non nolentibus hominibus, diſſimulant. Syllam quidem, hercules, terrarum principem, ac Romanorum ducem, qui bis Marium bis Mithridatem profligauit, qui Athenas expugnauit ac euertit, ferro Italiam ac cædibus miſcuit, facto ſimul agmine inuaſêre. Ne Arnulphos, Antiochos, Herodas, Maximinianos, Pheretimas, Honorios, Caſſandros, hic commemorem; Reges omnes Principeſque; ne nunc ad priuatos eam. Cum quibus, ſine ferro aut milite congreſſi, illuſtriſſimam victoriam ab ijs retulêre. Vt merito, ſi quicquam iudicare poſſum, vſurpare de ſe illud reus noſter poſſit,

Εἰμὶ φθεὶρ, ἀνδρῶν δαμάτωρ, δαμάτωρ δ᾽ τυράννων,
Τῆς μεγαλαυχήτου φθεὶρ Θέμιδος θεράπων.

Quos

Quos Latine reddidiſſem, niſi carmen Romanum fugeret pediculus; Græculis non ſine cauſa æquior. Quanquam ſane & reliquos, cum quibus contrahit, benigne ac familiariter habere ſolet. Non enim lancinat aut lædit quenquam,ſed titillat. niſi ſi quos facto agmine expugnat.Qua in re, vt recte in Phædone ait Socrates, majorne ſit voluptas dubites an dolor. niſi quod ex ipſo (ſi quis tamen dolor hic eſt) oritur voluptas. Quam quidem titillationem, ita vobis gratam eſſe equidem confido, Patres, vt præcipuum ac maxime jucundum paupertatis veſtræ ac calamitatis condimentum eſſe arbitrer. Sæpe vidi, quanta delectatione, modo tergum, modo caput; modo latus, modo partem aliam, quam leniter ſollicitare hoſpes veſter cœperit,fricare ſoleatis. Si voluptas enim, Platone teſte, mera eſt repletio, ea autem naſcitur ex indigentia, cauſam voluptatis veſtræ quæ in frictione ſumma eſt,vllam prę-ter hunc quem accuſatis, miror ſi adferre poteſtis. Quem (quod lepidum eſt dicam) caput dum ſcalpitis, membra fricatis, hoc ipſo non extinguitis, ſed generatis. Cujus rei cauſam vos philoſophi docere poſſunt. Quid quod medici officio funguntur? Sanum enim optimeque conſtitutum iis eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

caput quos inuadunt,ipſi medicorum principes fatentur. Iam in morte qua conſtantia,Dij boni,qua præſentia eſt animi! Sæpe enim fato jam vicinus,& in pectine ipſo ſitus,in quo diem claudere ſupremum ſolet, ſpatia ſecurus aliquot ſine vlla mentis perturbatione conficit: ne quid præter vitæ anteactæ dignitaté agat,aut exiſtimationi ſuæ maculam inurat.cujus magnas præclaraſque animas, præcipuam habere ſemper rationem conſtat. Auguſtus quidem Cæſar εὐθανασίαν, hoc eſt, mortem facilem ac repentinam exoptaſſe fertur.Quam,me judice, vnus hic conſequitur. Non enim lentis,non acutis conficitur doloribus. Non laterum, non renum, non veſicæ morbos experitur.Puto,quod, naſcente illo, Venus in octauo ab horoſcopo loco conſtituta fuerit. quæ, vt mathematici præclare docent, mortem,facillimam, & ab omni immunem dolore,generi mortali,in quo non poſtremum noſter locum obtinet, decernit. Ille autem pollice conuerſo, protinus extinguitur.Ea tantum parte deplorandus, quod immerito. Quanquam nec idcirco miſer dici poteſt. Nemo enim innocentem & calamitoſum, recte infelicé dicat. Quod & ante mortem Socratem dixiſſe ferunt, cum amici quidam ideo dolerent, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

immerito id euenire viro optimo exiſtimarent. Et plerique morte acerba extinguuntur : ideoque, ſine pompa,ludis,ac præcone,tacito,non indictiuo funere, exponuntur verius quam efferuntur. Forte, quia intra tyrocinium, & ante ſumptam publice virilem togam,moriuntur. Vnde & inteſtati, vt plurimum, diſcedunt. Atque hæc quidem pauca ſunt de multis. Nam quis omnia ſe poſſe ſperet? Cum præcipuus ſciẽtiarum omnium conſultus ac interpres maximus,Homerus, ſi quid Græcis creditur, naturam ejus cum quo ſemper vixerat, ænigmate deluſus, explicare non potuerit,reique tam excelſæ victus tędio,cum vita mortem commutarit. Forte & in pœnam. Sunt nõnulli quippe,qui de dignitate ejus parum reuerenter alibi locutum ferunt. Grammatici inprimis : qui a reo noſtro nunquam alieno animo fuerunt; hoſpites paterni ejus ac familiares. Vos vero, Patres Principeſque Mendicorum, etiam atque etiam in poſterum videte, quid agatis. Quippe ſi ſupplicium delectat; relegatio in promptu aut exilium. Poſſunt enim aut in terram comiter deponi,aut,quæ veſtra eſt ciuilitas, in alium, honoris ſpecie, cum voluptate ac judicio, transferri. vbi æuum, ſicut prius, agant,neque quicquam

præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

præter locum mutent. Exemplo ſane res non caret,& proficere in re magna, ſerum nunquam eſſe debet. Prudentiſſimos mortalium ac prope ſolos ſapientes, Indos, inde a Gymnoſophiſtis, habitos, neſcire non poteſtis. Gentem apud eos eſſe ferunt,Bancanã quam vocant,ea parte quam nunc Guzzaratam dicunt, qui cum admirandi hujus animalis ſoli prope intelligant præſtantiam ac dotes, fouent, quantum poſſunt, & hoſpitio indulgent. Cæterum, vt mire eſt fœcundum, vbi generis propago jam diffundi cœpit,

Et nati natorum, & qui naſcuntur ab illis,

e deſerto ſacerdotem vocant, qui diuinis eos manibus cum cepit, ſuo ſibi capiti imponit, ac deinceps liberaliter educit. Sunt qui captos in parietum ruinis ponunt ac occultant: ſi quis autem mortem,dum aſſiſtunt,inferat aut tollat, lachrymis ac precibus plerunque intercedunt, ne in oculis atque in conſpectu ſuo tantum facinus patretur. quæ ſi nihil poſſunt, auro vitam ſingulorum redimunt, quod protinus perſoluunt. Cum quibus prudentiſſimi mortalium Iudæi faciunt. a quibus, vt eorum ſapientes tradunt, הַהוֹרֵג כִּנָּה בְּשַׁבָּת,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

hoc eſt, *qui ſabbatho pediculum trucidat*, reprehenditur. quos & ad luminaria, quæ tum accendunt, perſcrutari nefas habent. Hæc ſi nunquam audiuiſtis, ſaltem nunc vos tangant,&religione animum commoveant. Miſereamini per ipſas cenſeo eorum vmbras atque manes, qui crudelitatem veſtram ſunt experti. Parcite miſeris, ſupplicibus, victis, conſanguineis veſtris ac propinquis: qui e vobis nati, a vobis educati ſunt. Qui vos colunt, vos ſequuntur, vobis hærent: qui vtranque vobiſcum fortunam experiri ſunt parati. Cauete, ne dum ſolam hic, vt alibi, opinionem ſequimini, modis plurimis a veritate aberretis. aut dum nihil quam perſuaſionem fortiter tuemini, ſcelere eam cumuletis.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

EPISTOLA

De Poëtarum ineptiis & ſæculi vitio.

ET hæc quidem hactenus. Plura quam volebam, Amice Lector, & fortaſſe, quam oportuit. Quædam enim amicorum cauſa ſcripſi: quædam & illorum cauſa edidi. Hoc ſæculi nunc vitium aut morbus eſt, ne alienum me ab eo credas. Eo tempore viuimus, quo ſeruile nomen Poëta eſt. Nemo quærit, an poſſis. Sunt qui petant ſemper, ſunt qui ſemper imperent. Si recuſes, pecces grauius quam ſi ineptias. Flet aliquis, flendum eſt: ridet, canendum eſt: &, vt verbo me abſoluam, Poëtæ hodie νευρόσπαστα ſumus

vt neruis alienis mobile lignum
Ducimur:

aut moriones verius & ſuauiludii. Patrem amiſit aliquis aut matrem, ad Poëtam itur: amicam læſit aut offendit, carmen poſcitur: ſponſam ducit, ſine nobis nec maritus fit nec pater. Poſtremo, quod præfica in funere, in amore lena, pronuba in nuptiis, id nunc vbique nos ſumus. Sunt qui ſomnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

nobis ſua referunt: qui, ſi, vxor forte abortiit, aut ancilla concepit, commodum id argumentum carminis exiſtimant. Quæ vltra noſtram memoriam & ſuam quidam petunt. Lucretiam plorare nos jubent aut Virginiam: &, quod Cæſar olim, *Ilienſium vicem dolere, quod egregium ciuem Hectorem amiſerunt*. Vt omittam eſſe, qui in re materiam, numerum in verſibus præſcribunt, ne vel plus vel aliter dicamus quam collubitum eſt illis. Vix hoc etiam, quod eſt Grammatici, Poëtæ relinquunt: verba vt jungat, numeros cogat, metrum eligat. Præſcribunt, imperant, in ordinem nos cogunt. inuentionem denique ac ingenium Poëtæ, quo nihil eſt liberius, aut magis ſuæ ſpontis, prout ipſis viſum eſt, aſtringunt aut relaxant. Et quemadmodum papilionem pueri aut bruchum, filo nunc dimittunt nunc adducunt, a lubidine ac voluptate ſua, nos pendere æquum cenſent,

Ὥσπερ, inquit ille, μηλολόνθη τοῦ ποδός. Vt jam nec naturam ſequi liceat, nec impetum. ſine quo diuturnum nihil, nihil, quod non breui extinguatur, naſci poteſt. Cœlum aliter ſi ire jubeas, deorſum, trahes: motu ſuo moueatur, nunquam deſinet. Sagittam mitte in altum, ibit qui-

dem protinus quo voles, ſed mox cadet. Scribe inuitus: aliquid ſequetur; ſed caducum. Vt cum auctoratis, aut ad gladium damnatis olim, nunc nobiſcum agitur. quibus ad arbitrium alterius, edendum erat, non vt viuerent, ſed vt, cum viſum eſſet aliis, perirent. Nobis ex præſcripto aliorum, aut ex placito, ſcribendum. Erramus autem, ſi ab illis famam expectamus. quia quicquid alieno juſſu ſcribimus, cum damno famæ ac periculo vulgamus. Et quod ars in aliis aut labor, in poeta indoles ac vigor poteſt. Ad exemplum cœli ſui curret, aut peribit. Nam cœleſtis ille ſpiritus, momento oritur & cadit. Aquilam deficere aut languere ad tempus ajunt; ita quidem, vt quem ἀετὸν vocare ſolent, tum ἀπάετον, ingenii ac naturæ ejus gnari, vocent. Idem euenit poëtæ. Scribet quæ vult: non cum vult, aut ſemper: neque ſemper, vt oportet. Mihi quidem nihil tam difficile nonnunquam, quam non poëtari: ſæpe autem, ac præcipue, ab aliis rogatus, facilius e pumice aquam, quam poëtici liquoris guttam a me exprimam. Forte & cum aliis ſic agitur. Interim jam liber nullus ſine commendatione noſtra editur, nullum car-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

men. Semper & vbique legimur : vbique nomen noſtrum ad faſtidium apparet. Vt jam tineis & blattis, ab ingenio & arte noſtra condimentum homines obſcuri petant. Credo vt, quia ſoli interire nolunt, ad interitum Poëtam ſecum trahant. Quid quod ne deleri quidem altera editione volunt quæ ne nobis quidem placent? Negant enim hoc amici eſſe, qui a nobis famam hac mercede expectant, vt proſtituatur noſtra. Putide autem & ambitioſe has nugas amant. quas dum omnibus largimur, apud eos euileſcunt, quibus minime negari debent. Neque intra eruditos & noſtrorum ſpatia, ſtat hæc inſania. His proceribus, ſculptores quoque & plaſtæ jam ſuccedunt. atque, vt hodie rem natam video, ni pluris noſtra ipſi æſtimamus, niſi aliquid negare diſcimus, aurigæ quoque ac nautæ, neque multo poſt, lenonum natio ſequetur. Nihil ſine nobis fit aut geritur. & quod alia de re Philoſophus, ὀβελισκολύχνιον, aut Delphicæ machæræ ſumus. Vidiſti in Republica Homeri, Iovem, Deum vere πολυπράγμονα, ac ſatagentem, qui ab omnibus obtunditur. Pro Achille inſtat Thetis, Agamemnon pro exercitu. Ajax vt nubem tollat, Vlyſſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

vt poſt tot errores domum redeat: Alcinous vt ducat: Telemachus, vt ſaluus Lacedæmonem perueniat. Vix vt optimo Deorum commiſſatum μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας, aut Iunonem ſuam ex æthere ſuſpenſum ire liceat: vix vt turbare cœlo Vulcanum, vix vt Ixioniæ in aurem tria verba ſuſurrare vacet,

> Ἣ τέκε Πειρίθοον θεόφιν μήστωρ' ἀτάλαντον.

Aut ſi quid lubentius his ipſis πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, per ſe agit, cum Homerice nugatur. Talis Poëtarum vita eſt. Et tamen, ille interdum abnuit aut negat.

> Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Quod non licet nobis: ne cum ratione quidem. Beneficium moleſtiam ac curam parit. Nam ſi quando neges, prior liberalitas inuidioſa fit. Merito vt dicas,

> *Exauſpicaui ex vinclis. nunc intelligo*
> *Redauſpicandum eſſe in catenas denuo.*

Etiam ignoti ſunt laudandi,& fortaſſe improbi. Quos nunquam vidimus fortaſſe nec videbimus, ſuffragio juuandi ſunt. Itaque,quemadmodum Athenis, ſatis erat in pariete ſcripſiſſe, ΚΑΛΟΣ Ο' ΔΕΙΝΑ: ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ita hos elogium in fronte libri juuat ac delectat, neque ſecus quam e fuco meretriculæ, ex alieno carmine exiſtimationem quærunt. Vidi aliquoties qui precium offerret, vidi & qui poſceret: neque vnum noui, qui furorem ſuum, quoties luberet, alteri locaret. Ad exemplum Simonidis, vt arbitror, qui primus artis noſtræ fuit inſtitor: qui primus inter Muſas Monetam coluiſſe fertur. Gratis enim nihil ſcripſit, nihil precio negauit vnquam. Notum illud ex Ariſtotele,

> Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵπ-
> πων.

Apud Hieronem vero, quos quantoſque quæſtus fecit! Cenſus integros ac patrimonia corraſit. A quo parum nobis eſt periculi. facile hic tutamur mores. Nemo enim eſt ex illis qui non ſimiam lubentius nunc alat, quam poëtam. Nam vt hortos integros cum Scipione, aut prædia cum Mæcenate donent, ſecta temporum noſtrorum non admittit.

> *Et hæc prius fuère, nunc recondita*
> *Senent quiete.*

Satrapæ minores ſunt qui nos dormire nunquam ſinunt. Hi inſtant, hi moleſti ſunt, hi totos dies nos obtundunt: ſalua deni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

denique amicitia negari poſſe negant, quod exiſtimatione ſalua non conceditur. Quanquam & hæc Poëtarum culpa eſt. Sunt qui nunquam negent, ſunt qui vltro operam addicant, & qui cum Plautino illo, geſtiant promittere. Quorum verſus ſunt ἐφήμεροι plerunque, & naturæ beneficio hoc conſequuntur, vt cum Sole & occidant & oriantur. Niſi quod,

Illis cum ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda.

Alii priſco Cratino credunt,

Nulla valere diu nec viuere carmina poſſe,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Offam igitur & cibum amant alienum, neque vnquam ſterileſcunt quam cum domi cœnant, aut non bibunt amplius quam par eſt. Mures, notant quidam e Philoſophis, ſi ſalem lingant, ſine coitu fœcundi ſunt: illi, niſi redeant ab aliena menſa, nihil edolare poſſunt. Neque longe a pſittacis recedunt, quibus niſi offam madidam oſtentes, vocem elicere non queas. Mihi certum eſt, aut ſponte mea ſcribere aut tacere. Si inſaniendum erit, Scyllas inuenire poſſum aut Chimæras: nunquam enim argumentum Poëtæ deeſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

non magis equidem quam Deo, ſi Platoni credimus, Idea ſua. Quod ſi nihil ſit quod canam, minori forſitan negotio ſecure dormiam,

> Ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος.

Neque de cujuſquam judicio ſollicitus, mea

> *-- virtute me inuoluam, piamque*
> *Pauperiem ſine dote quæram*

Quo nihil facilius. Eſt enim αὐτοδίδακτος ἀρετὴ paupertas, vt ajebat ille. Quæ a parente noſtro ad nos devoluta eſt hæreditas. Homerum dico: qui ſic vixit, ſic abiit. Beatiſſimus hoc vno, quod nec codicillos fecit nec legatum, neque quiſquam de inofficioſo ejus egit. Quanquam, ſi Philoſophis accedimus, ſic quoque ſatis opulentus fuit: cui nihil præter neceſſaria deeſſet; bona autem animi abunde ſuperarent. Plus enim Pop. Rom. Attalus reliquit, minus habuit. Nunquam enim vere tuum eſt quod aliquando non erit: neque in perpetua poſſeſſione eſt cujuſquam, quicquid ad hæredem tranſire poteſt. Idem ipſis quoque Muſis eueniſſe mihi equidem videri ſolet. Nam cum ſinguli Deorum, bellam ſibi Diuam aliquam elegerint, cum

qu.

qua æuum, vt Poëtica Theologia docet, ſuauiter tranſigerent in cœlo; ſolas illas Iouis filias in Helicone ſuo canere & plorare omnes proci juſſerunt. Credo, quod in dote ſit vitium: neque Iupiter, Saturni filius, rebus aliis intentus, iis quicquam præter fides, tibias, & voces, quibus ſuum ſibi oblectarent domi ocium, reliquerit. multorum nempe liberorum pater: cui ob lubentiam quotidianam onus inſuper familiæ accreſceret. Nam de facie non poſſum dubitare: ſiue Hyacinthum cogito, quem Clio, ſiue Rheſum quem Euterpe, ſiue Corybantes, quos Thalia, ſiue denique Sirenes, quas Melpomene in lucem fertur edidiſſe. Ante autem nuptias id contigiſſe, ſatis conſtat. Hymenæum enim poſtea Vranie produxit. Neque parum ſapuiſſe mihi Thamyris videtur, qui hac lege omnes prouocaſſe a collegis noſtris, viris integerrimis, narratur; non vt ſecum omnium pulcherrima, ſi victor eſſet, matronali more in manum conueniret, ſed vt flore ſingularum potiretur. Malebat enim homo prudens, ſemel nouem delibare, quam cum vna ſemper eſurire. Verum hæc mittamus. Id nunc tantum petimus: vt ſi quid ſit hic, quod languere videantur, illis aſſcribatur, quibus dedimus inuiti, neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aliud in nobis quam facilitatem damnes. Quod vel a judicio vel a candore tuo expectamus. Nam judicia peruerſa ea ſemper fui mente vt ridere quam reſpicere maluerim: quæ ludibrium aut jocum, non moleſtiam creare nobis ſolent. Et, quod Græci feſtiuiſſime, τὸν γέλωτα κερδαίνω. Noui qui Elegiis deeſſe hoc meis diceret, quod minus graues eſſent quam Tragœdia. Cras futurus, qui Tragœdiam contemnat, quod feſtiua minus ſit quam Elegi. Quid reſtat, niſi Ariſtoteles vt redeat, & περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ſcribat denuo? Nam priora illa populi ſtultitia jam ſuperauit omnia. Quo nemo eſt ineptior, niſi forte qui aut credit hæc aut æſtimat, & quanti ipſe ſit ab alio expectat. Aliquid fortaſſe ſcribam quod eruditis placeat, nunquam quod omnibus: neque cogere poſſum quenquam vt non maledicat, nec me quiſquam vt hoc metuam. Petant nos, vt lubet, imperiti homines ac feriant: ego iſta vulnera Democriti abſtergam pharmaco, & hos ictus declinabo,

ὡς ὅτε μήτηρ
Παιδὸς ἐέργῃ μυῖαν, ὅτ' ἡδέϊ λέξαιτο
ὕπνῳ.

Tu

Tu vale, mi Lector, & hos jocos excuſa. Adhuc enim poëtarum more ſcribimus,& a vicino aliquid contagii hic ſermo trahit. Tum autem Saturnalia, aut ſi id mavis, Dionyſia nunc erant, quibus nullum libertati eſt periculum. Quam ſi quis hic nobis neget, Romæ eam impetrabimus cum ſeruis, vel Athenis cum antiquis Comicis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

ARGVMENTVM BATRACHOMYO-MACHIÆ.

ARgumentum operi eſt, prœlium, a Ranarum Muriumque Populo de ſumma rei geſtum. Quod ex leui ortum cauſa ac initio , ad ſummam claritatem poſtea peruênit. Eſt autem tale. Cum Pſicharpax, Mus, illuſtri genere , Regis Troxartæ & Lichomylæ filius, hoſtis domeſtici, cujus plurima atque atrociſſima in vniuerſam ejus familiam extabant facinora, vnguibus elapſus (Felem vocant) ſiti, quam e fuga contraxerat , ſedandæ ſtagnum acceſſiſſet ; in Phyſignathum Ranarum Regem , Peleo atque Hydromeduſa , aquæ Imperatoribus, progenitum , præter expectationem incidit. Apud quem , cum multa de commoditate quam præberet ſibi terra, multa de cupediis cibiſque , quos communes cum hominibus haberet , multa item de virtute ſua , neque pauciora de Ranarum egeſtate, quam in aquis tolerarent , ſupra quã ſolitum magnanimis, cõmemoraret; pro ſe autem ac felicitate aquarum, breuitate

tate Regia Phyſignathus nonnihil reſpondiſſet (pro quo maxime id erat, quod ambigua viuendi ſorte natus, explorata de vtroque elemento noſſet) tandem verbis opus eſſe negat, cum facillime res expediri vel ab ipſo poſſet. Stagnum omnibus patere. Eo ſe conferret, ac, ſi vir eſſet, quem naſcendi ſuis locum ac conditionem Dii dediſſent, coram exploraret. Teſſeram, & hoſpitales Deos, & officia, non defutura. Ac ne imperitiam natandi aut inſolita prætexeret, tergo ſuo ſe ac humeris committeret. Oneri libenter ſubiturum. Ita controuerſiam finiri poſſe. Legem accipit magnanimus Pſicharpax. Quem, vt nouitatis ſtudio plerique ducimur, conſpectus aquæ, ac initia, non parum oblectarunt. Cæterum, vt fere optimis ſucceſſibus aduerſa ac diſſimilis interuenit fortuna, Hydrus(id aquatici ſerpentis genus, ac certiſſima Ranarum peſtis eſt) ſubito conſpectus, facile Phyſignatho perſuaſit, vt elapſus oneri de fuga cogitaret. Quæ res alteri haud commode euênit. qui natandi parum gnarus, diu cum fluctibus luctatus, ac oppreſſus tandem, luctu & calamitate, domum ac familiam compleuit. Accedebat, quod infelix naufragus, ſuorum oculis objectus, funeri ac debitis exequiis negatus, inter vndas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

aliquãdiu volutatus eſt. Doluſne acceſſerit ad cladem ac fortunam, nondum, vt non raro graues controuerſiæ diu extrahuntur, a Grammaticis pronuntiatum eſt. Huc vt inclinemus, callidum Phyſignathi ingenium perſuadet. qui, objecto in Senatu crimine, negare factum, aut oblique in defunctum deriuare culpam, quod inſolita ac legibus naturæ vetita tentaſſet; ſchemate in Republica recepto magis quam honeſto vſus. aiunt enim, mortuum non reſpondere. Vniuerſi certe Mures ad ſe facinus ſpectare rati, bellum parant. Quod ne temere ac immemores relligionis ſuſcepiſſe viderentur, Fecialis ad Ranarum Patres mittitur. Qui ferocius quam par acceptus, denuo ad ſuos redit. Et iam animis res gerebatur. apud quos conſilia poſtrema ſunt. Sic ad arma ventum. Ac jam pedes inſtrui vtrinque; raro apud illos equite aut nullo. Ex viuendi, credo, ratione: quod in rimis, illi; hæ in ſtagnis agant: vbi haud perinde eques explicari poteſt. Neque contemnenda, & pro viribus vtrinque, arma. Acus atque junci haſtæ vicem eſſe. Galeæ vtriſque, nucum teſtæ, cochleæque. Ocreas fabarum cortices, ac maluæ; loricas, feli, ſummo generi Murino hoſti, pellis in certamine detracta, ac paluſtres betæ, præbuere. Ita acies diſpo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

diſpoſita. Dii, more Homerico, de ſumma rei agunt. quibus viſum, ne in partibus quis eſſet: tantum arbiter virtutis ac ſpectator quiſque adeſſet. Timor inceſſiſſe credebatur: ne, vt in ferocibus vtrinque populis, quemadmodum in bello apud Trojam geſto, Diomedes aliquis extaret. Ita acies committi. Ac, ne quid ad dignitatem vtriuſque populi deeſſet, claſſico prætorio a Ioue cani. Culices, ex aëre delapſi, tuba ſignum dare. Queis auſpiciis committi ordines cœpere. Virtutum ſingularia exempla Troglodytes, Hypſiboas, Seutlæus (qui Embaſichytrum, inter ollas liberaliter eductum, ante primam aciem ttansfixit) Artophagus, Limnocharis, aliique exhibuere. Hic quidem nemini ſecundus: qui molari Troglodyten (ne de veritate hiſtoriæ ac fide dubium lectori hæreat) colliſit. Inter primos Meridarpax, Mus illuſtris, rem pro ſuis geſſit. tantis quidem animis ac Martio ardore, vt de internecione Populi Ranarum, cum euerſione ſtagni, cogitaret. Ni miſertus Reipublicæ gentiſque antiquiſſimæ Deorum Pater, fulmine ac tonitru receptui repente ceciniſſet. Quod conſilium cum fruſtra cecidiſſet, neque inhiberi generoſus Meridarpax poſſet, cancri, ſæuum animal ac dirum, tergo Murium a Ioue im-

 miſſi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

miſſi. Qui cum nouo facinore atque inuſitato, caudas a tergo inſtantium pedeſque parum comiter inuaderent ac diſſecarent, iis quoque fuga placuit. Ita maximo a Muribus ſucceſſu decertatum. Donec ira Iouis ac nox interuênit. vt qui belli, idem & diei finis eſſet.

Atque hæc quidem Regibus, Phyſignatho (ſi autore hoc ſtamus) & Troxarta, geſta ſunt. Qua autem Olympiade Græcorum, quo Athenis Magiſtratu, quibus Romæ Regibus Conſulibuſve, ex Annalium memoria vix conſtat. Siue negligentia eorum, ſiue quod illuſtres nullæ in Ranarum Muriumque gente ad ætatem noſtram epochæ reperiantur. Poëma, ad Homerum qui referre ſolent, magis animi judicio quam oculis, vacillant. Præiuit grauioribus Homeri prœliis, in vſum juuentutis, quiſquis autor. non ætate aut tempore, ſed exercitio & argumento.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

VIRO NOBILISSIMO,

IOHANNI MILANDRO,

Domino de Poederoeye, Principi a Secretis: de Græculis, quos illi commendauerat.

VIr Ampliſſime. Duos ante dies aliquot, cum literis, quas ſæpe ne ignotis quidem nego, ad te miſi Græculos. Male ſaginatos quidem illos, ac propemodum exangues macie & aridos. Adde & pannoſos ſatis, ac, vt illi ſolent, ſciſſili amictos palliaſtro: bonos tamen viros. quod inprimis autem tua ſcire refert, domo celeberrima hac tempeſtate oriundos. Nam ne nunc ad proauos, aut abauos, aut etiam, ſi Diis & Iuriſconſultis placet, tritauos eamus; narro tibi, eos ipſos, patre, viro nobiliſſimo, Planete, matre Amechania, matrona inter primas huius gentis, natos eſſe. quæ hoc tempore majorem, quam ὁ μέγας olim βασιλεὺς, in Græcia familiam ſuſtentat.

> Τοίης σφὰς γενεᾶς τε καὶ αἵματος
> εὔχομαι εἶναι.

Quos ego, more philoſophico ac ſuo, ἐν

τῷ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

τῷ τριβωνίῳ γενναίως μάλα καὶ Ἑλληνικῶς περιπατοῦντας, & ad nos inſtituiſſe iter cum viderem, ſtatim, ſuo more, in commeatum proficiſci argentarium exiſtimaui: cujus apud me plerunque magna eſt penuria. Quamuis autem neque mathematicorum cœlum doceo, neque e vultu hominum ſententiam de moribus pronuntiare poſſum, tamen e pallore ac macie, non minus eſurire Græce, quam loqui poſſe, nobis viſi ſunt. Quamuis ergo a clariſſimis ſummiſque viris commendati eſſent, nihil tamen admodum de cæteris quæſiui: quia parum e re mea curioſam hanc περιεργίαν arbitrabar. Vltro tamen Græce eos compellauimus. Vt intelligerent, non minus me egere, qui non minus poſſem Ἑλληνίζειν. Scire enim aliquid, inprimis autem Græce, qui ſcientiarum cæterarum fundus eſt, contractæ rei nota nunc habetur. Monetam quoq;, Principem Dearum, ignorantia plerunque aut contempus eruditionis comitatur. Congreſſui ac diſſertationi primæ, vellem equidem interfuiſſes. Plurima de genere eorum ac majorum dignitate didici, quæ alios fortaſſe celant. Didici, vt alia non pauca, ita Δρίαν eſſe in Aſia, quam Τρόιαν noſtri dicunt.

Turcam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Turcam Chriſtianis, ac præſertim Græcis, non fauere. Et non pauca alia ejuſdem generis. Poſt nugas plurimas, dolere eorum vicem cœpimus, quod viros maximos, Chryſoſtomum, Gregorium Theologum, ac Baſilium magnum amiſiſſent (plane, vt olim Ilienſium poſt annos plurimos Tiberius, quod Hectore, præclaro ciue, ſpoliati eſſent.) In quibus tamen pluſculum quam ipſi, obſeruaſſe ac legiſſe nobis videbamur. Neque peſſime hoc ſucceſſit nobis. Nihil enim præter literas, prudentes viri, poſtularunt. Ita lepide os ſubleui noſtris Græculis: qui ne ramenta quidem auri hinc propenſiores abierunt. Omnes quoque virginali admodum modeſtia, κυρίους, κυριότητας, aut ἀδελφότητας vocaui. Illud enim *Domine*, quo nos, & olim Græci, ex Romana conſuetudine non raro vtebantur, tanquam ſcopulum vitaui: vel quod iſtud jam non capiunt hi noſtri, vel ne, vt ineptus olim Græcus ille, ad τὸ δόμεναι deflecterét. Noſti enim illud, δόμεναι φέρτερ: cui ſtatim jungitur, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι. Porro, niſi jam non vacat, ſcire & illud debes, omnes vel Athenis vel Corinthi natos eſſe. De Athenis quidé cauſam vides. Quis eſt enim, quem non vrbis celeberrimæ majeſtas tangat?

tangat. De Corintho, idē crede. Aut fallunt iſti (quod exiſtimare nefas) aut non amplius jam verum eſt, Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς. cum ex ea vrbe veniant plerique. Niſi forte a Prætoria cohorte, qua muniti ſemper eunt, nomen hoc deſumant. In qua ſunt, qui Κόρεις, ſunt qui Φθεῖρες nuncupantur. Vtrique pedites, ac leuiter armati. illi, etiam ad ſaltum expediti. Cum viderem autem, viris optimis moleſtum eſſe morbū quidem nugatorium, ſed grauem aliis & ipſis: quem Chryſendiam vocare vulgo ſolent (tu hic frontem medicorum vide, qui ne nomen quidem norunt) non abs re facturum protinus exiſtimaui, ſi in medicinam, quo jam ante ituros dixerant, hoc eſt, in aulam, literis inſtructos ablegarem. Quoſdam enim ibi ajunt reperiri, vafros quidem illos, ac multarum rerum gnaros, (quod ad Græcos noſtros nihil) ſed qui morbis, vt non omnibus, ſic vni ſoleant mederi. qui Bulimus, ſiue Bulimia, illis dicitur, atque vniuerſam hodie inuaſit Græciam. Eum dico, quem Galenus ita definiuit: βουλιμός ἐστι καταπτῶσις δυνάμεως, ὑπὸ τῆς ἔξωθεν ψύξεως· ἀρξάμενος μὲν ἀπὸ πείνης·

σὺν

ἐοίκῃ ἔτι ἢ ἔχων αὐτὴν συνοῦσιν. Ego autem, pace tanti viri, in his noſtris definire ſoleo, βούλιμός ἐστι βρωτέων τε καὶ ποτέων, ὑπὸ τῆς τῶν χρημάτων καταπλώσεως, ἔνθα ἀρξάμενος μὲν ἀπὸ πενίης, ἐς πενίην ἢ Ἑλληνικὴν νῦν καταλήγων. Quæ, an plena ſit, haud multum moror, dum in noſtros recte quadret. Quem eundem Poëtarum filii (quibus tempeſtate noſtra pluſculum quam medicis, ab hoc periculi incumbit) λιμὸν ſimpliciter dixerunt. Et, vt ſcias, quam non ſit innoxium hoc malum; vna tantum litera a peſte abeſſe voluerunt. Homerus, homo prudentiſſimus, & qui non raro cum hoc conflictatus dicitur, γαστέρα, aliquoties, a loco, ſcilicet, in quo ſæuire ſolet, non inepte dixit. Vt Od. H.

> Οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο (ἀνάγκῃ,
> Ἔπλετο, ἥτ' ἐκέλευσεν ἕο μνήσασθαι
> Καὶ μάλα τειρόμενον, καὶ ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔχοντα.

Et hæc quidem verba ſunt Vlyſſis; Regis magni: &, quod amplius tu judicabis, πολυτρόπου. qui memoriam illius nunquam periiſſe ſibi ait. Ne tu poëtarum tan-

tum nationi, malum hoc familiare aut ἐπιδημικὸν exiſtimes. Quemadmodum Satyricus Romanus, *ventrem.*

Magiſter artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Et Comicus,

Venter creat omnes has ærumnas auribus.
Peraudienda ſunt, ne dentes dentiant,
Et aſſentiendum eſt, quicquid hic mentibitur.

Atque hactenus de morbo. Cæterum, cum tales hi tantique viri, hominem requirerent in aula, cui idioma ſuum imputarent, (vide, quam non ſit impune in aulis Principum, non imperitum eſſe, aut Græce doctum) tibi commendari voluerunt. Ita ego meos ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς, ſtrenue ac diligenter admodum eſurientes, Hagam ablegaui. Vbi primum, quantum ex ſuauiſſimis doctiſſimiſque tuis nuper intellexi, in te impetum fecerunt: ſi qua ratione a miluina ſua (ita enim morbum Plautus vocat) ſubleuari poſſent. Quam a te exiſtimo, non ſine pharmaco, quod nos Chryſargurum vocamus, humaniſſime ac peritiſſime ſublatam. Vide autem mihi, quæſo, diuerſiſſimam conditionis noſtræ faciem. Ego, quem non plura poſſidere, minus tamen

men pauperem ſcis eſſe, quam ſunt iſti, vix ſtipendio adduci poſſum annuo, vt Græce apud auditores meos aliquid effutiam aut garriam: tibi, homini διοτρεφεῖ, in arca cujus ac muſeo, Danaës maritus, Ζεὺς ὁ χρυσοῦς ſedem bene conſecratam habet, vectigalis eſt hæc lingua. cui cum tributo Græce apud Græculos loquendum eſt. Vt jam metuam profecto, ne, ſi ſæpe Græciſſari ſic inſtituas, prodigere in aula te exiſtiſtiment, qui nihil didicerunt. Qui morbus, etſi grauis quoque, & ægerrime curari ſolet, minus tamen (ſi qua fides Ariſtoteli habenda) metuendus, quam qui ἀνελευθερία ab eodem dicitur. quem ἀνίατον propemodum pronunciat. Ad alteram Epiſtolæ nunc partem abeo. qua, dicam maximam, ſolennibus conceptam verbis, huic homini conſcribis,

Ὅτι ἀδικεῖ ὁ καλὸς, καὶ περιεργάζεται,
ὅτι τὸν ἥττω ἄνδρα, κρείττω ποιεῖ.

vt noſter Socrates, videlicet, τὸν λόγον. Itaque Anytum & Melitum iam cogitabam. Tum poſtea, haud ſecus atque in manifeſte reum, ſæui ac horrendi legem carminis pronuntias. Seueritate tanta, vt non longe abeſſet, quin τοὺς ἕνδεκα time-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

rem; qui hoſpitium a muſcis jam pararent nobis. Verum, audi, quæſo te, quam leniter reſpondeam. Primo quidem, ſi πᾶς ὁ μὴ ἀληθεύων, ἀδικεῖν exiſtimandus eſt, magis certe, quod virtutibus & eruditioni tuæ minus quam oportuit tribuerim, quam quod in alteram peccarim partem, accuſandus fui. Sin laudando modum exceſſiſſe videor, quid hic periculi aut mali, nondum equidem videre poſſum. cum ne ipſis quidem Græculis hoc male cedat: qui ex commendatione iſta vnctius huc caput retulerunt. Vnum addam, quod propemodum effugerat. Eorum alter, ne tu neſcias, ſacerdos eſt. Vt jam pene intelligas, cum quanto & quo homine, in aula vobis, meo beneficio, res fuerit. Non jam illud ergo dices, Οὐδὲν ἱερόν. quo decepti expectatione ſua vti ſolent Græculi. Ἔστι γὰρ, διοτρεφὲς, οὐχ᾽ ἱερὸς ἐκεῖνος ὁ γλυνάδας μόνον, ἀλλὰ τοὺς ἱερούς. Nobiliſſime Vir, Vale. & leporibus his noſtris, more tuo, veniam da, atque ignoſce. Quod jam impetraſſe me confido, ſi ſub prandii aut cœnæ tempus, cum ridere vacat tibi ac feſtiuo eſſe, vt nobiſcum ſæpe, in manus tuas venerint hæ nugæ. Cal. Aug. Lugd. Bat. cIↃ IↃ c VII.

Viro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Viro Clariſſimo

DOMINICO BAVDIO

S. D.

CLariſſime Baudi. Omnium virtutum princeps ac regina mihi ſemper viſa eſt conſtantia : quæ in rebus noſtris , magnum illud & diuinitati proximum inuexit , NON MOVERI. Stare quippe contra caſus ac fortunam, nemini eſt datum, niſi qui inuicto animo hos ictus excipit ac frangit : & cum natus ad calamitatem ſit vt homo, ſibi dat quod non accepit. Hæc eſt illa Stoica prærogatiua ac ἀδιάθεσις: qua conditionem numinis invadunt , qua mortalitatis leges cum diuinitate proxime conjungunt. Fortes quidē viri; ſed, qui cum inuidia, vt noſti ſua, inacceſſa loqui ſolent. Nollem quoque proprium affectum nobis, τὴν φιλανθρωπίαν, penitus excluderent. hoc eſt, generi humano id negarent, quod ab eo nomen habet. Vtriuſque ſummum temperamen in te vidimus. Chariſſimam vxorem nuper amiſiſti. Commune hoc cum omnibus habebas. Mortalis quippe erat, & hac lege venerat, vt ſic abiret. Reliqua ſunt tua. Æ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

gram animi ac corporis, ſuaui allocutione recreaſti: nullum optimi mariti munus ac officium prætermiſiſti : abeunti, qua neceſſe erat, viam quæ ad loca beatorum ducit, quaſi digito monſtraſti. Cætera vt boni viri; ita hoc & Chriſtiani fuit & Theologi. Functam his calamitatibus, non multis quidem lachrymis, ſed quas vt mœror animi eliceret, ita animi conſtantia ac virtus inhiberet, proſecutus es. qui maritum ſic agebas, vt & virum eſſe meminiſſes : ita conſtantiæ ſeueritatē tuebaris, vt humanitatis legem non excederes. Aliquot deinde poſt diebus, funus mortuæ feciſti, & atratus ipſe (quanta conſtantia Di boni!) agmen duxiſti: donec terræ partem ſui reddidiſti. Ex hoc tempore animum firmare ſapientiæ præceptis, & in vſum tuum promere ea, quæ jam pridem meditatus eras, ſerio cœpiſti. Intelligebas quippe, ereptam eſſe quæ reſtitui non poſſet. Cæterum, præſidia quæ in te ſita eſſent, indidem promenda eſſe. Ita tecum tandem & feſtiuitate, in gratiam paulatim rediiſti. Deorum quoque dona, quæ ſolatia humanitatis noſtræ eſſe voluit natura, ſenſim quoque adhibuiſti. qualis liquor eſt illius Dei, qui Indorum fines expugnauit. Idque cum delectu & judicio. Neque dubitamus, quin

tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

tantum jam profeceris, vt ſuauiſſimum Deorum, ipſum ſcilicet Amorem, qui vel vltro te invitat, ſenſim admiſſurus ſis. Certe quicquid vſquam venuſtatum viget, cœlibatum tuum decet. Cogita cum qua amœnitate tibi ſit luctandum: quanta tibi in conditione iſta aduerſaria parata ſit. Si quæ vſquam exquiſita ac eximia eſt forma, ea libertatem tuam vocat, quæ tutorem jam non nouit. Si quæ dos non contemnenda vſquã extat, eam occupare ſpe jam potes. Et vt debeas aut poſſis, domi habes quod reponas: cui plus quadragies Iamborum eſt in arca. Probæ monetæ quidem, quamuis vix in vulgus uſitatæ. Iſta quoque vt excuſes, Baudium terrarum orbi debes. Quicquid nil agente te elabitur, hominibus diſcedit: qui virtutes tuas, a te quidem, ſed in alio, expectant. Quare cauendum cenſeo, ne quantum ceſſes, omnium interſit. Ætas abit. quæ ne fruſtra elabatur, ipſæ quoque noctes occupandæ ſunt. Quod futurum breui jam ſperamus. quare etiam ridere auſi ſumus. Nam cum reliqua quæ dici ab amicis in mœrore ſolent, partim tempus, partim tua nobis præripuerit conſtantia; plus jam omnes judicabunt eſſe, quod vel ad lepores vſque obduruiſti. Quos, te ſerio ſuadente, publico jam da-

mus · qui nonnullum huic ſcripto , in quo doctam expreſſimus antiquitatem , precium jam olim poſuiſti. Cui & editionem imputabis. Vale Lugd. Batav. cIↃ IↃ c x.

Viro Clariſsimo

HVGONI GROTIO

S. D.

VIr clariſſime. Magis indies ac magis hujus ſæculi virtutes admiramur. Nihil vetuſtati equidẽ debemus,quam lubentius laudamus. Quæ nec pulchriora, nec majora habuit conſtantiæ exempla, quamuis cum inuidia minore audiantur. Xenophontem illum Grylli ajunt,cum in re diuina filium majorem cecidiſſe audiuiſſet , iterũ coronam aſſumſiſſe, & Deorum ſacris admouiſſe manum. Q. Martium , cum ſummæ indolis adoleſcentem amiſiſſet,a rogo eueſtigio ad curiam ſe contuliſſe , omnes in miraculis habere ſolent. Amicus noſter , eo ipſo die quo vxorem extulit, guſtare vinum voluit. Vultu grauiſſimo inferias , & tamen ſiccis iuit oculis. neque , vt maritus,ſed vt pater aliquis Cõnſcriptus,petere Senatũ viſus eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

eum ad ſepulchrum conjugis ſe contulit, Solatia, quæ fractis aut exulceratis adhiberi ſolent mentibus, ipſe occupauit. Amicis nihil hic reliquit, quod vel imputare illi poſſent. Tantum grauiſſimum hoc vulnus (ita vocat) publico ad Academiam programmate teſtatus eſt. & inuênit cauſam, cur eo die non doceret. Orpheum, Apolline & Calliope prognatum, feciſſe, ſapienter negat, qui vxoris cauſa mortuos acceſſerit. multa enim eſſe in viuis, quæ leuare luctum poſſunt: modo animus non deſit, & quæ virum magnum ſemper decuit conſtantia. Eſt vicina quædam ejus ædibus puella: quam fauente Venere & Gratiarum choro natam, ſæpius contendit. Sed in dote vitium eſſe affirmatur. qua, me judice, illi ſatis luculenta opus eſt. Eodem quo vxorem amiſit die, languor quoque acceſſit. Ὀλιγοσφυξίαν vocant. Eruditorum eſſe proprium, plerique exiſtimant. Etiam Platoni, cum Dionem accederet, moleſtum fuiſſe ajunt. Facilius e vultu & pallore, quam e venæ aut arteriæ momentis eum deprehendas. Hunc pro cætera conſtantia non ſatis fortiter tuliſſe nobis viſus eſt. Adfui mærenti. mentē, quantum potui, erexi. Ferri poſſe vtcunq; omnia aiebat: cæterum remedio, & quidem præ-

ſentiſ-

ſentiſſimo hic opus eſſe. Etiam hoc inuentum eſt. quod efficaciſſimum expertus ſum. Magnum certe vſum ἡ χρυσῖτις habet. Etiam oculos, quod Hippocrates voluit, plerunque exhilarat. Stabat demiſſo ante ac triſti vultu: vxorem eius adhuc viuere dixiſſes. Vix ſpes melior affulſit; reſpirare ac conſtanter multa de fragilitare vitæ diſputare cœpit. nemo funus eſſe in ædibus exiſtimaſſet. Ego nullũ aut officii aut humanitatis prętermiſi genus. Iambos ἀρχαΐζοντας plus minus ducentos conſcripſimus: quos breui editos videbis. & hac quidem lege, vt & me ſimul videas. Quod, vt ſpero, breui futurum eſt. Vale, Lugd. Bat. cIↃ. IↃ c. x.

Ad Clariſſ. virum Dominicum Baudium, in obitum vxoris, Iambi ἀρχαΐζοντες.

SEueritatis temperator & joci,
Venuſte Baudi, cuius imbre nectaris
Meroque melle ſcripta perpluit Venus,
Et dicta, & omne quicquid eſt vſquam tui;
Non tranſmarina, non Pelaſga, ſed Quiris,
Remiq; neptis, ipſaue Aeneæ parens:
Qualisq; ſolis ſtat videnda Gratiis,
Carens amictus, non venuſtatum tamen;
Peculioq; corporis diues ſui,
Privaq; laude; non potens odoribus
Offuciaque, quam magis plebes amat:
Qis aduocatus, non vt expedit, Deus,
Expectorauit ſpiritum tibi marem,
Neruoſq; mentis, & lubidinem viri;
Dum fata mœſtus comparis gemis tuæ,
Quam compotiuit Aggeruntis Dis pater?
Quæ nunc oberrat regna per Proſerpinæ,
Sacroſque campos & Diis gratum nemus;
Dilecta tantum, quantum amabitur breui
Aut Phyllis, aut cenſenda moribus Chloe:
Vel ſi quod vſquam myrothecium videt
Facetiarum, Phœbus & Dieſpiter;
Vel Luna mater: ſiue Lucinam velis,
Qua partumeis præſidet puerperis;

Fe-

Fœcundus heros, ſeminiſq; Baudij
Non inuidere certus indigentibus:
Quæ te ſuaui prole mactabit patrem,
Et morſicatim flammeus labellulis
Adluſitabit, & columbatim premet
Os illud ipſis ambiendum Gratiis.
Amplexibuſque vinnulis venuſtulis,
Et delicatis baſiationibus,
Catulliana qualis extitit ſeges,
Diſſuaviabit vſque: ſiue cum paras
Quid muginari dulce, ſiue ingratiis.
Hac ſpe querelas & ſupercili Chaos
Remitte nobis: nec bimater Evius,
Curas edaces execratus, & grauem
Mentis ſenectam, deſit in partes ſuas;
Præſtes choreæ, ſeminarium joci,
Ludi tribunus, Cypridis coagulum,
Et dux amoris, & choragus gaudij.
Vergenſque primum cymbiis pauxillulis
Minutuliſq;, rem pitiſſando gere:
Carcheſiiſque littus extremum lege;
Dum pectus ægrum vim ſalutarem fugit.
Manumque vitat, & fauet doloribus:
Non immodeſtis, non capacibus ſcyphis.
Hylæus olim quos amabat & Pholus;
Sed parciore, ſed verecundo Deo.
Vt nauita olim palmulis radit ſolum,
Cautuſque vitat impotentia freta,
Dum ponit vnda; dumque Iupiter pedem
Vtrum-

Vtrumque poſcit, ſiue Rheni deligis
Suaue nectar: ſiue quod Celtæ ferunt.
Ni ſors Ibera mauelis vel Cretica,
Cenſor peritus, arbiterque non leuis,
Fugaxque nunquam, nec relictor agminum,
Cum Bacchus & res ſtrenuum poſcit virum.
Sed innocentis gaudij memor tamen,
Et obſeratæ non amicus amphoræ,
Lamnæque terris quam Deus recondidit.
Sic flore ſenſim toxicoque Liberi,
Et hoc veneno faſcinatoris meri,
Ceu Marſa abactus Theſſalaque nænia,
Inominatus ibit in ventum dolor,
Et anxitudo mentis, & moleſtia.
Hac lege noſtram mancupo tibi fidem;
Paratus omne, quod moues, periculum
Subire tecum. ſiue parcenti manu
Stat velitari, ſeu meracioribus
Mentem lubido eſt ſauciare ductibus:
Curaſque, & omne quicquid ægrimoniæ eſt
Primo pedatu diſſipare te paras;
Eliminatus ut ſtruat mæror pedem,
Et ſe relictis migret e præcordiis.
Non inficeti combibonis vt vicem,
Quem non Camœnæ non venuſtates vident,
Xanthique potor intuetur Delius,
Vterque Bacchas ante bacchantes eat,
Inſaniendo. verum, amabilem in modum,
Et qualis olim fertur antiqui ſenis

Nataſſe virtus, Theſſalas inter tubas
Et ciuico cruore manantis manus.
Aut Sophroniſci comis vt ſueuit puer,
Medulla fandi, blanda Siren & Venus,
Nil ſcire doctus, omnium gnarus tamen:
Quem Cliniæ propago, quem rorans merum
Demit ſeueris, & venuſtis adſtruit.
Cenſen' quid vmbræ fabulæque imagines,
Et faſtuoſa gens gerat Proſerpinæ,
Quos Cnoßij, quos Æaci damnet forum,
Minoſque diris additus nocentibus,
Curare viuos? An mori virum decet,
Et eſſe luci quam trahis ſuperſtitem?
Trux & ſeuerus adſidet furentibus
Mœſtusque ſemper. Occidit ſanguen Iouis,
Et tot ſub vndis voluit ingentis viros
Liquor Scamandri. fleuit immanem Hecto-rem
Coniunx parenſq;. Fluctus vt fluctum trahit
Lunæque pergunt interire, ſic abit
Mortale ſæclum. Lex venit naſcentibus,
Necis potiri, cum iubet neceßitas,
Pauſamque vitæ primus inuoluit dies.
Quod ſi benignus eiulatuum, genas
Et ora turpi rore commendes miſer,
Puerperæque, vel ſecundus præficæ,
Plangore cuncta mœſtus incendas tuo
Leſſuque inani, num minus ſtat atrium
Crudele Ditis, & riget ferro domus,

Quam

Quam triplici ceruice pellatrat canis,
Damnaſque longi Siſyphus moliminis,
Et inſolentis Tantali colit furor?
Vin' eſſe temet legis æternæ excipem
Tuoſque tantum? Fors & expetit tibi,
Functam labore, nunc fruiſci gaudio,
Lætamque diuis intereſſe cœtibus;
Quæ mille peſtis corpore anclauit ſuo,
Necisque mille. Nec potentior lues
Vinci dolentem preſſit Alceidæ manum,
Thoroſque, & acrem pectoris valentiam,
Et diſcolorem exſorbuit vim ſanguinis:
Cum triſte munus OEnei partu ſatæ
Euiſcerauit baiulum cœli virum.
Sic vſque noctu ſæuiebat & die
Qui viſcera olli cæcus ambedit dolor.
Quo victa ſæpe, nec potens ſilentij,
Impoſque fandi, ſed quiritari memor,
Feſtiuitatis indolem ſtitit tuæ;
Vagore vitam flebili euitans tibi,
Et ominoſis eiulationibus.
Quæ noxia eſſe noxa vatibus ſolet,
Bonæque menti non leuem fraudem creat.
Verum vt relabar ad venuſtates tuas,
Orſuſque ſocco, nil cothurnatum crepem:
Sed qualis olim Dauus in ſcenam venit,
Lippum Simonem tangere audax & vafer,
Vel qua talento Pythias mungit ſenem,
Cum captat auras, & ſubinde humum fugit:

Nunc compedum ſolutus & triſtis iugi.
Liber vagaris, quo ſerenus impetus
Et nata magnis indoles mentem trahit,
Dotis benignæ candidatus & cliens.
Hanc eſſe quippe natio mortalium
Aetati agundæ non inutilem autumat;
Et jus fateri eſt. ni Trebatius grauis,
Conſultus æqui, iuris antiqui ſciens,
Diſſentienteis oggeris ſententias,
Hæc & tepentis ſuſcitabulum foci,
Dapiſque blandæ præbitrix eſt, & meri,
Columna vitæ, dulce fulcimen domus.
Hoc inſtitores, & propolarum manus,
Et gens inepta, ſarcinatores viri,
Copæque auaræ, maxumæ vatum cruces,
Negant negare. queis, venuſtis verſibus
Ineruditam nunquam adiueris manum.
Non ſi trecentis, quotquot occidunt dies,
Puris iambis, aut trochæorum pede,
Amice, places, lachrymare neſcias
Inelegantes, inverecundas aues.
Sic ante doctas excubant ſemper fores,
Redire certæ, dum Moneta fulſerit
Regina rerum, maxumi proles Iouis:
Ne forte Diuam deſpuas eimodi.
Non vt ſeuerus, Euclionis in modum,
Viuas ſepulti pertinax nomiſmatis,
Sed lætus vſu, nec moleſtus promere.
Nunc intueri nec pudor nec fas negat,

Si quid

Si quid venuſtum, ſi quid inclutum veget:
Genaſque, & ora, virgineſque pupulas
Coram arbitrari, verbaque elegantia,
Et æſtimare ſi quid in ſinu latet:
Sententiamque ferre de tot voltibus,
Quot Cypris vſquam Cypridiſque por videt:
Pedemque figere in puellarum choris;
Feſtiuitatis non peregrinæ virum.
Hæc eſſe quidni ſuſpicer nectar tibi,
Et lac, & omni dulcius papauere?
Si nec leæna nec tibi mammam dedit
Hyrcana tigris: nec ferocientibus
Septentrionis intonat a filiis
Immitis vnda pectus eduxit tuum:
Sed blanda mater, & Camænarum chorus,
Feſtiuitatis lene momen inſitæ
Et dulce flabrum. Cynthius triſteis negat
Amare poſſe, nec fauet mærentibus.
Liber ſeueros ſemouet thyrſo viros,
Aptus choreis, & ſuauibus iocis:
Putumque nectar lachrymantibus dedit,
Fugare curas, hoc trucidat vim mali,
Internecatque ſi quid in venis latet,
Soluitque habenas & guberna pectoris,
Cum lene ſerpit, & cerebri ſit potens.
Tum mens vagatur, & Iouis tentat domum,
Vehitque nubes inter, & vitat ſolum.
Tum ſpes amica gliſcit: alma Veritas
Tinnire docta, quicquid in ſolum venit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Fideſque regnat: cornua aſſumit miſer,
Abitque turpis in directum dolor.
Hæc inter arma blanda Liberi patris
Humens ſubinde lingua ſuauiter ſeret,
Arguta leni rore pellacis Dei,
Quem ſenſit Indus, & minata vim polo
Terræ iuuentus, Rhœcus, & toruus Mimas.
Ipſaſque voces irrigabimus mero,
Vmbramque guttis: quæ ſub ingenti ſpecu
Magna parentis ſicca temeti jacet.
Vouebimuſque, ut terra tam leuis premat
Caput beatum, quam ſibi vixit grauis,
Dum dulce cœli lumen hauſit & diem,
Compos doloris vſque & ægrimoniæ.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 15